



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio I. De Principiis & causis in Communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DISPUTATIO I.

De Principiis & Causis in Communi.

A quæ concernunt formalitatem Principii, imprimis perstringenda sunt.

PRÆMITTO I. Quæ sit Definitio Principii ut sic. Plures diversis locis tradit Philosophus. *Prima* est 4. Metaph. t. 1. *est primum, unde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur.* *Secunda* 1. Phys. T. 42. *Oportet principium neque ex alterutris esse, neque ex aliis, & ex his omnia.* *Tertia* 5. de Gen. Anim. c. 7. *Principium est illud, quod ipsum quidem est causa multorum, sed ipsius nulla superior.* In idem ferme recidit, & illa, 5. Poët. *est id, quod post aliud, necessario non est, post illud autem, aliud natum est esse, vel fieri.* Maxime propria est *Prima Definitio*, licet etiam non sit exacta: quia procedit, per enumerationem; quibus omnibus, quasi rationem, communem tradit, S. Thomas 1. p. q. 31. a. 1. *Principium dicitur esse, à quo aliquid, quomodocunque procedit.*

Quomodo autem ratio principii possit salvari, sine nova Inceptione, discitur in aliis materiis, attingeturque ubi de Creatione.

PRÆMITTO II. Quæ sit definitio Principiorum Corporis Naturalis. Desumitur illa ex 1. Phys. t. 42. *Principia sunt, quæ neque ex aliis, neque ex alterutris fiunt, & ex his omnia.* Ut autem ly ex toties positum explicetur, sensus erit, dictæ definitionis, ut communiter docetur, Principia Physica, neque Terminative, neque Compositivè fiunt, in ordine rerum naturalium, ex aliis, aut ex alterutris, ex ipsis autem, vel Compositivè, vel terminativè fiunt omnia materialia.

PRÆMITTO III. Quod sint principia Corporis Naturalis. In fieri tria sunt. Materia, forma, privatio, in facto esse duo, Materia & Forma.

RATIO est. Quia in omni transmutatione, datur terminus à quo, terminus ad quem, & illud ipsum permanens, quod transmutatur. Primum est privatio, secundum forma, tertium ipsamet materia. Argumentum hoc infra redibit tractandum. Procedit autem resolutio, de principiis intrinsicis: quia efficiens, & finis, sunt principia extrinseca. Quod autem in facto esse, sint duo. Ratio est: quia impossibile est,

stare privationem cum forma. Imò ratione horum duorum, dicuntur esse prima principia, prima contraria. Hæc summam tractata, fusiùs ab aliis exposita, ferme ab omnibus, eodem tenore leges.

QUÆSTIO I.

De Predicatis essentialibus Causæ.

Investigata definitione Causæ, perstringenda erit contextio illius, sitne essentialis cum effectu.

DIFFICULTAS I.

Explicatur Essentia Causæ, ut sic.

In Definitione Causæ, attendendum est; ne conveniat Patri æterno, respectu Verbi, & respectu Spiritus S. utrique. Ne conveniat conditionibus, privationi; solis tantum intrinsicis, vel solis extrinsecis Causis. Item ne conveniat Personæ Verbi respectu Humanitatis.

EXPLICAT I. Suar. D. 18. Metaph. S. 2. n. 3. est principium per se influens esse, in aliud.

IMPUGNAT I. Hanc definitionem Arriaga: Quia Pater æternus, qui est aliud suppositum à Filio, influit esse in aliud suppositum; & tamen non est causa Filii.

RESPONDERI potest. Quod ly aliud simpliciter prolatum, ex sensu Patrum, significat alienitatem essentialis. Hinc absolute potest dici filius alius à Patre, sed non aliud. Cum autem Suar. sine addito aliud posuerit, non potest definitio illius aptari ad probandum Patrem æternum esse causam Filii.

IMPUGNARI potest II. Quia per ly aliud, vel intelligis naturam, vel intelligis quidditatem, si naturam. Ergo substantia, posito quod sit entitativè distincta, nullam habet sui causam: quia dum producitur, non producitur natura, si autem intelligis, quamcunque quidditatem. Ergo Pater, respectu Personæ Verbi, erit Causa: producet enim Personam Verbi, adeoque quodquid Verbi, quæ Verbi.

RESPON-

RESPONDERI posset, Nisi aliquid addatur, hoc Argumentum non concludet, quia quidditas sine addito, idem est, quod natura, solisque formalitatibus differunt. Hinc si non producit natura Filii, neque producit quidditas Filii. Posset tamen acui hoc Argumentum, ut fiet infra. *Absolute tamen loquendo*

NON SATISFACIT Dicta explicatio. Tum quia potest idem producere seipsum, ubi verè erit causans, & causatum, non tamen erit influxus, esse in aliud. Tum quia secundo loco positum argumentum, restitui potest; ly enim aliud, non supponit pro natura, ut probatum supra, non pro definibili quocunque habente aliquam perfectionem, & tamen productam: quia alias persona Verbi, dicens relativam perfectionem, dicenda erit causata. Tum quia etiam causæ per accipiens, sunt verè causæ, & tamen per se non influunt esse.

EXPLICAT 2. Arriaga. Causa, est id, quod per se influendo producit essentiam. *Hec explicatio ex dictis*

NON SATISFACIT. Tum quia si nomine essentiae intelligatur id, quod contraponitur subsistentiae. Sic subsistentia, si est quid distinctum ut est per Arriaga distinctum, non habebit sui causam. Si autem non sic sumatur essentia, non apparet, quod Pater, respectu personæ Verbi, non dicatur causa. Tum quia dantur causæ per accidens, quæ verè sunt causæ, & tamen per se non influunt.

EXPLICAT 3. Fonseca, consentientibus Conimbr. Quod causa, sit principium, per se influens esse, in aliquid à se dependens.

IMPUGNARI solet. 1. Ly pendere ab alio, vel significat, quod ille terminus, qui producit, non possit esse, nisi ab alio, & sic verbum etiam erit causatum: quia illud essentialiter est à Patre. Si autem per ly pendere ab alio, significatur indigentia, quam habet terminus ad esse à causa, sequetur nec per Divinam potentiam, eundem effectum, posse à pluribus causis totalibus produci, nulla enim ex his determinatè indiget effectus.

RESPONDERI posset. Sufficit, quod saltem indeterminatè aliquà ex iis indigeat.

IMPUGNAT 2. Oviedo: quia si ex Auctoribus istius definitionis, quæ rationem, quare Verbum non sit causatum, respondent: quia scilicet non dependet à Patre. Si autem quæsieris, quare non dependet à Patre, respondent quia dependere est habere productam essentiam, quod certè est arbitrium: nam ex præcisâ vi termini *dependet*, non significatur produci essentiam. Hinc datur dependentia à conditionibus passionibus formâ, quæ dependentiæ non arguunt productionem essentiae.

RESPONDERI potest. Quod in communi phrasi, & sine addito, dependentia supponat pro aliquo imperfecto; ut cum dicimus, crea-

tura pendet à Deo, servus à nutu Domini. *Absolute tamen loquendo*

NON SATISFACIT hæc explicatio. Tum quia ex ea, non potest reddi clara ratio, cur Pater æternus, respectu Filii, non sit causa, cum verè non possit esse, nisi à Patre: nam ut supra vidimus, dependentia non arguit productionem essentiae, non significat etiam semper imperfectionem: nam essentia dependet à suis passionibus, & perfectionibus, relationes transcendentales à suis terminis. Cur ergo dependentia originis argueret imperfectionem. Tum quia esse illud dependens, vel significat quidditatem, vel naturam. Si naturam. Ergo Subsistentia distincta, nullam potest habere sui causam; si quidditatem, vel perfectionem productam. Ergo Verbum, quod in ratione Verbi producit, dependens, adeoque causatum erit. Tum quia ut dixi supra, etiam causæ per accipiens, sunt verè causæ, neque tamen per se influunt.

EXPLICATUR 4. Quid sit causa? Nempe, quod sit principium, propter quod per se, seu virtute sua influens, sequitur aliquod esse. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia usurpat terminos dubios, & tamen definitio, quæ est ipsissima sciendi claritas, non vult talia dubia, dubium autem est. An ly propter quod, non supponat pro causa finali: Nam motiva exprimuntur per ly propter quod; Rursus non apparet, quod hæc definitio, sine nova explicatione, & distincta ab hac, possit aptari causis intrinsecis: cum illæ non virtute sua, sed seipsis influant, & causent. Tum quia ly illud *esse*, vel supponit pro natura, & sic subsistentia distincta, non posset habere sui causam; Vel ly *esse*, supponit pro quacunque quidditate, & sic etiam Verbum Divinum causari, quantum ex vi huius termini non repugnaret, præcipue in sententia, quæ agnoscit relativam existentiam. Tum quia si recurras ad hoc, quod esse Verbi non sequatur, inquirendum erit, quid ly *sequitur* importet? Si enim quamcunque posterioritatem importet, sic sequetur etiam verbum, quod est posterius origine, præoriginante: Si per ly *sequitur*, intelligatur sequela durationis seu posteritas durationis, Sol non erit causa luminis; quia in eodem instanti reali, emanavit ex se lucem: Si autem ly *sequitur*, supponit pro dependet; redeunt Argumenta superius in simili facta. *Hinc aliter*

EXPLICATUR 5. Quid sit causa? Quod sit principium, vi sua determinans ad existendum. Usurpo potius ly *vis sua*, quam per se, vel virtute propria, quia causæ per accidens, per se non influunt, & tamen sunt verè causæ. Nec adhibeo hunc terminum; Virtute propria: quia causæ instrumentales, sunt verè causæ, non tamen dicuntur agere virtute, & nomine proprio, sed in Virtute principalis, cum tamen ha-

beant vim sibi convenientem agendi, per quam vim agendi, excluduntur conditiones, qualis est approxinatio, quæ non agit, sed agens, unit localiter. Per ly *determinans*, excluduntur Personæ divinæ. Nam determinatio, indifferentiam saltē in priori naturæ exigit: quid enim determinaret, & auferret? Nulla autem etiam cogitabilis fuit indifferentia in Personis Divinis, ut essent. Determinatio etiam significat limitationem. Hinc Bessarion. cap. ult. ad fin. Concil. Florent. negat in isto sensu, in quo causa limitationem dicit, appellare Græcos, Patrem æternum, causam Filii. Per quem etiam terminum, privationes, imò & conditiones excluduntur à ratione causæ: quia possunt esse, & non determinare ad existentiam, nec habere vim determinandi. Subsistentia etiam Verbi non est causa Humanitatis: quia illud non determinat ad existendum. Denique si daretur Creatura ab æterno, Anima item rationalis, quæ exigit esse semper post, sunt causatæ: quia Creatura ab æterno, erat adhuc indifferens ad existendum, indifferentiā priori per rationem. Anima item, etiam, postquam est creata, adhuc causatur à Deo, quia est pendens à concursu Divino, qui potest exhiberi & non exhiberi, habetque esse limitatum, & restrictum, ideo adhuc debet dici, determinari ad existentiam. Porro ratio determinantis, causalitati, ut Quo, causæ, ut Quod, conveniet. Determinare etiam ipsum, non tantum ad genus causæ efficientis, sed etiam formalis spectat. Hinc per multos determinativitas, est de primo essentiali conceptu formæ, spectat etiam ad causam materiale; quia hæc determinat ad esse corporei, compositum. Denique cum aliquid propter diversos fines fieri possit, vel certè fieri, & non fieri; bonitas finis ad utrumque determinat. Sicque ulterius procedendo, in aliis huc revocabilibus speciebus causarum, advertetur, omnibus illis convenire vim determinandi.

QUÆRES.. Cur Patres rejecerint nomen causæ à Divinis?

PRÆMITTO I. Aliquos Patres veritos esse etiam nomen principii dare Patri respectu Filii. Proprium, inquit Nazianzenus ejus qui principio caret nomen est Pater, ejus autem, qui citra ullum principium genitus, est Filius. Imò & Arius scribens ad Euseb. Nicom. ex eo Filium non esse Deum volebat, quia habet principium. Principium autem, inquit, habet Filius. Deus autem caret principio. Sed Arius volebat Filium habere principium, h. e. esse ex non entibus, seu non existuisse aliquando, hocque illi volebat negare Nazianz. citatus.

PRÆMITTO 2. Aliquos Patres dixisse, quod Filius pendeat à Patre. Ita idem Nazianz. V. de Filio Dei. Nihil erat ante Patrem magnum, nam cuncta coercet, amplectens & qui pendet de Patre.

Cyrrill. Alex. Dial. 3. de Trin. dicit. Filium pendentem esse substantialiter ab eo, qui genuit. Sed his locis, ly pendere, supponit pro procedere.

PRÆMITTO 3. Græcos ferre omnes, Patri, nomen causæ tribuere, respectu Filii, imò & Aug. L. 83. qq. q. 16. Deus, inquit, omnium quæ sunt, causa est, quod autem rerum omnium causa est, etiam sapientia sua, causa est: igitur sempiterna sua sapientia, causa est sempiterna. Sed ly causa supponit pro producere. His præmissis

RATIO datur. Cur Pater, respectu Filii non sit causa? Quia causa & effectus sunt correlativi, hinc si Pater esset causa, respectu Filii, Filius esset effectus, contra Nicænum, in quo dicitur, genitum non factum, & contra Symb. Athan. non factus, nec creatus, sed genitus. Rursus causa debet habere prioritatem naturæ, respectu causati, & tamen S. Thomas. Op. I. Contra Errores Græcorum, c. 2. ait. Neque enim, inquit, prior est Pater tempore, cum Filius sit æternus. Neque prior naturā. Cum Patris, & Filii, sit una natura.

Aliam Rationem, tali discursu, proponit Oviedo. Ex phrasi ipsa conformem definitioni causæ, à nobis adlatæ. Omnis causa non potest producere effectum perfectiorem se, & limitatio determinatioque perfectionis, est à causa: Nam si effectus immediatè à Deo creatur, à Deo limitatur, cujus voluntas, non applicat omnipotentiam, ad effectum perfectiorem, ut poterat, producendum. Quod si à creatura producat effectus, illa etiam perfectiorem se, non producat, adeoque determinabit, & limitabit perfectionem illius. Cum autem in Divinis, producat non taxet perfectionem producti, sed est utriusque eadem perfectio: quia & eadem natura. Hinc si principium producat, non limitat perfectionem producti, non est illius causa. Hæc tamen ratio, indigeret ulteriori lumine: quia etiam secundum personam v. g. determinat Pater, non nisi ad esse Verbi. Rursus, si produceretur per impossibile infinitum, non esset quid limitatum; & tamen causatum. Si autem dicas ex eo fore limitatum: quia in certa specie constitutum; etiam Verbum in certa specie constituitur, estque de linea intellectionis, non volitionis; dicitque distinctionem, alietatemque realem à Spiritu Sancto, qui est de linea volitionis.

DIFFICULTAS II.

De Essentia Cause in actu Primo.

PRÆMITTO. Causam in actu primo, sumi causam, prout potentem operari, causam autem in actu secundo, sumi causam, prout re ipsa operatur. Sub præsentis autem titulo, decidendum erit: per quid constituatur causa in actu primo. An sci.

scilicet præter propriam entitatem, includat & importet actionem, saltem ut possibilem. Negat Hurt, Arriaga, Oviedo. Affirmant alii Recentiores. Ipsa autem causa in actu primo potest spectari adæquate, & inadæquate, seu secundum præcisam entitatem, cui habere vim producendi convenit.

DICENDUM est 1. *Causam inadæquatè acceptam non constitui actione.*

PROBATUR 1. Causa inadæquatè accepta est causa secundum entitatem spectata, cui identificatur vis causandi. Hæc non constituitur actione. Ergo Major est definitio, ipsum statum Quæstionis continens. Min. prob. Tum quia nihil constituitur in sua entitate, per aliquid à se distinctum: constitutum enim in entitate, identificatur constituto; distincta autem sibi non identificantur. Tum quia si causa secundum entitatem spectata, constitueretur actione, vel constitueretur actione actuali, & hoc non: quia hæc est posterior ipsa entitate causæ; vel constitueretur actione possibili, & hoc non potest dici: quia in illo priori in quo concipitur causa, sine possibili actione, est principium, sicut effectus possibilis; ita etiam & causalitatis possibilis. Ergo in illo priori, sufficienter est constituta in esse causæ in actu primo, aliàs non posset principiari quidquam: prius enim est, esse constitutum, in esse causæ, postea causare. Antecedens immediatum probatur. Si in illo priori, causa in actu primo, non esset principium causalitatis possibilis, causalitas possibilis, non produceretur à causa, quod ipsum probatur. Non enim produceretur à causa in actu secundo, quia hæc est posterior causalitate possibili. Non etiam à causa inadæquatè accepta, ut conceditur. Non denique à causa, prout dicit ipsam causalitatem: quia aliàs à se ipsa esset, & principii *Quo* non daretur necessariò Principium *Quod*, siquidem hoc principium *Quod*, constitueretur ipso *Quo*.

PROBATUR 2. Quia si causa inadæquatè accepta constitueretur per causalitatem possibilem, ut assumitur, esset causalitas antequam esset. Seq. probatur quia antequam intelligatur esse causalitas possibilis, intelligitur, esse ad illam, causa in actu primo, tanquam principium ejusdem; & tamen tunc jam esset causalitas possibilis: quia per Te, in actu primo causa, dicit causalitatem possibilem; Ergo esset causalitas, antequam esset.

PROBATUR 3. Si causa in actu primo diceret causalitatem possibilem, idem saltem inadæquatè; esset causa sui ipsius. Cum enim actus primus causæ, sit causa possibilis actionis, & hic actus primus dicat inadæquatè per Te actionem possibilem, si actus primus causat possibilem actionem, etiam actio possibilis, importata ab actu primo causæ, causabit saltem inadæquatè seipsam.

DICENDUM est 2. *Causam in actu primo, adæquatè spectatam, importare actionem possibilem.* Nomine autem causæ in actu primo, adæquatè tamen spectatæ, accipitur causa, & omne illud, quod illa secum poscit cointelligi, ad habendam completam, de se notitiam, quantumvis illud, non habeat rationem principii, ut *Quod*.

PROBATUR 1. Causa in actu primo adæquatè tamen spectata, est quid correlativum ad effectum, prout à se pendente possibilem. Ergo si adæquatè accepta dicit effectum à se pendente, non potest dicere sine causalitate possibili: propter causalitatem enim, fit ipsa dependentia. Ergo dicit & ipsam causalitatem possibilem.

PROBATUR 2. Causa in actu secundo, adæquatè accepta, dicit causalitatem, & effectum actualem, horumque aliquo non habito, neutrum erit, h. e. nec sine causalitate, effectus, nec causalitas, sine effectu, jam autem nulla est causa in actu secundo. Ergo etiam causa in actu primo adæquatè spectata, importabit effectum, & causalitatem possibilem.

PROBATUR 3. Supponamus per impossibile, omnem causalitatem reddi impossibilem, hoc ipso erit impossibilis omnis effectus, impossibili etiam omni effectui, redditur impossibilis causa. Ergo apparet, quod ad intelligendam adæquatam rationem causæ, hæc omnia requirantur. Ne autem ex particularibus principiis, de connectione causæ procedat Argumentum, per impossibilitatem omnis effectus, accipe etiam conditionatam possibilitatem sublatam.

OBJICITUR 1. Causa in actu primo dicit Decretum, de concurrente cum causa in actu primo. Hoc autem Decretum, à Deo formati non potest nisi præsupposita possibilitate actionis, & effectus. Ergo causa in actu primo dicit possibilitatem actionis.

RESPONDETUR. Imprimis possibilitatem actionis, duplicem spectari posse, unam activam, & hæc est formalissimè ipsa causa, inadæquatè spectata, & non nisi ex præsuppositione hujus, Deus format Decretum. Secundo possibilitas actionis spectari potest passiva, ut ita dicam, quæ est formalissimè causalitas, ut *Quo*, possibilis; hanc non est necesse, ut præsupponat, Decretum Divinum, sed ut eadem, suo modo concurrat cum causa. Vel ad maximum præsupponit Decretum; possibilitatem actionis, non tanquam conferentem vim agendi causæ, adeoque non tanquam aliquod constitutivum causæ, inadæquatè acceptæ, licet præsupponat possibilitatem actionis, tanquam aliquid requisitum, ad adæquatam conceptum causæ.

OBJICITUR 2. Causa in actu secundo, dicit causalitatem actualem & effectum. Ergo, & causa in actu primo aliàs, non solo statu different, sed etiam constitutivis.

RESPON-

RESPONDETUR. Etiam causam in actu secundo, inadæquatè spectatam non constitui causalitate. Quod si dicas, causam in actu secundo, non posse inadæquatè spectari, quia inadæquatè spectata, diceret tantum vim agendi, vis autem agendi, non est causa in actu secundo, hinc disparitas dari posset. Quia non habet, per quod aliud distinguatur causa in actu secundo, ab aliis, nisi actuali causalitate, per quam transit, à non esse causantis in actu secundo, ad esse causantis in actu secundo, ad esse causantis. Jam autem sola vi sua causandi, sufficienter à reliquis distingueretur causa, in actu primo.

OBJICITUR 3. Causa in actu primo, etiam inadæquatè accepta, vel dicit relationem transcendentalem, ad effectum, vel non dicit: Si non dicit. Causa non est: Si dicit, sine causalitate, tanquam ratione fundandi, & effectum tanquam termino, concipi non potest.

RESPONDETUR. Causam si materialiter spectetur, non dicere relationem transcendentalem, ut dictum de relatione, ut causa autem est formaliter, dicit relationem, consequenter importat etiam causalitatem, non tanquam tribuentem vim agendi, ad quod solum in præsentia attenditur, sed tanquam circumstantionans illam vim agendi.

OBJICITUR 4. Causa in actu primo spectata, respicit effectum, si autem respiceret eum, & non diceret causalitatem possibilem, causa se ipsam saltem mediata respiceret: respiceret enim effectum, & non ratione actionis.

RESPONDET ARRIAGA. Concedendo, quod aliquid, mediata possit seipsum respicere. Sed aliter satisficit Argumento, quod causa respiciat effectum mediante actione, quæ sit ratio fundandi; sed non quasi conferente vim principio, in quo, vertitur cardo.

OBJICITUR 5. Principium productivum in Divinis constituitur per ipsam productionem activam, seu quasi actionem. Ergo & in creatis idem erit.

RESPONDETUR. Imprimis negando Antecedens. Nam in prima Parte traditur, originibus, non actionibus, constitui personas. Deinde negari potest Conf. Disparitatem dat Arriaga, quia in Divinis, actio est improducta, hinc bene potest constituere principium. In creatis verò actio, procedit ab ipsa causa.

Punctum Difficultatis 3.

An connexio Cause cum effectibus possibilibus, sit Cause essentialis?

PRÆMITTO I. Sub hoc titulo quæri ab Auctoribus communiter. Imprimis: An causa dicat relationem transcendentalem ad effectus.

Rursus: an causa respiciat suos effectus, in universaliter, an in particulari. Denique: an reddito uno effectui, ex possibilibus impossibili, & ipsa causa reddatur impossibilis?

PRÆMITTO 2. Aliquos Auctores, concedere connexionem essentialem omnipotentia cum effectibus possibilibus, non tamen relationem transcendentalem. Talis est Suar. Fass. quorum rationes solvit Oviedo, Cont. 9. Met. p. 6. n. 1. Alii & connexionem, & relationem transcendentalem iisdem causis concedunt, quos vide apud Rec. Suar. Tr. 2. de Causis d. 5. q. 3. Rursus Oviedo negat connexionem essentialem causæ, cum effectui; admittit tamen causæ creatæ respectum transcendentalem ad suos effectus, loco citato, n. 3. quamvis neget, respectum hunc causæ increatæ p. 2. n. 13.

PRÆMITTO 3. Ex dictis, de relationibus transcendentalibus, facile colligi, quod causæ specificativè acceptæ, non sit primo essentialis hic respectus si detur, sed erit difficultas; an sit essentialis, saltem secundo essentialiter.

PRÆMITTO 4. Quod causa creatæ, dicat relationem, ad effectus posibles, eamque transcendentalem. Prioris est Ratio: quia, quod dicit esse ad aliud, dicit relationem, causæ dicunt esse ad aliud, hoc est ad effectum. Ergo: Minor probatur. Quia dicere causam esse ad aliud, hoc est effectus posibles, nihil aliud est: quam causam habere vim producendi, & effectus esse producibiles; ut patet ex dictis de relatione, ad quod respexit Aristoteles: qui admittit relationes fundatas in actione, quæ nullæ essent, si causis negetur relatio, & si actio exercita, fundat relationem. Cur non fundabit actio possibilis; præcipue, cum per Philosophos, detur relatio, etiam ad non existentem terminum, si sit transcendentalis. Quod ipsum ut probetur Ratio est, Relatio causæ, ad effectus posibles, est aliqua, sed non est prædicamentalis: quia, hæc est non nisi ad terminum existentem. Ergo est transcendentalis.

PRÆMITTO 5. Quod etiam causa increata, dicat ad Creaturas posibles, respectum transcendentalem. Non repugnat Deo, dicere relationes ad Creaturas, ut probatum in Logica. Ergo etiam non repugnabit causam increatam, quo nomine venit omnipotentia, dicere relationem ad effectus posibles. Sed non potest, dicere ad illos, relationem prædicamentalem. Ergo dicit transcendentalem. Deinde causa creatæ dicit relationem transcendentalem ad effectus; ideo quia est Virtus productiva eorundem, & effectus sunt producibiles. Ergo cum idem competat omnipotentia, etiam illa, dicet ad effectus posibles, relationem transcendentalem.

RESPONDERET Oviedo. Disparitatem esse, Quia virtus creatæ certos, & determinatos effectus

ctus in se continet, quos, & non alios, potest producere, & ita, speciali modo, se habet ad illos, quos continet, quo, non se habet ad alios. Omnipotentia verò, nullam specialem habitudinem dicit ad aliquem effectum, sed æquè est potens ad omnes effectus; & non solum se extendit ad omnes possibiles, sed illa se etiam extenderet, ad omnes, qui implicant, si hodie non implicarent.

CONTRA est. Virtus creata, propter specialem ordinem, ad suos effectus, dicit particularem, & ut ita dicam, determinatam relationem, ad suos effectus. Ergo & virtus increata, propter etiam suum ordinem, qui est universalis, ad quoscunque effectus, dicit, (ut ita dicam,) universalem relationem ad omnes effectus: Utriusque enim, eadem est ratio. Deinde per oppositam sententiam, si hodie, sonus esset coloratus, aspiceret illum oculus, & tamen hoc non obstante, potentia visiva, dicit ordinem transcendentalem, ad sua possibilia objecta. Ergo etiam potentia increata, quamvis posset hodie producere hirco-cervum, si non implicaret, adhuc poterit dicere, ad effectus possibiles relationem transcendentalem. Quod autem adfert, idem Oviedo, sequi ex nostra sententia, quod Deus dicat relationem transcendentalem etiam ad chimæras, siquidem etiam illas potest producere, si non implicarent. Id non convincit. Quia per nos, non respicit Deus sub hac conditione *si res non implicet*.

His præmissis discutiendum venit, quænam sit connexio causæ cum effectibus possibilibus?

Punctum Difficultatis 1.

Expenduntur Rationes probantes nexum essentialem Causæ cum possibilibus.

PROBAT I. Martinus Olzewski illi. Si non diceret causa essentialem ordinem ad effectus possibiles, effectui possibili reddito impossibili, adhuc esset causa possibilis, quoad entitatem. Sed hoc est falsum ut probatur. Impossibilis est entitas causæ, si non sit possibilis Metaphysica passio, entitatis causæ, propter connexionem, talis passionis, cum entitate. Sic homo impossibilis esset, si risibilitas impossibilis esset. Sed si transiret effectus possibilis, in impossibilem, entitas causæ non haberet perfectionem Metaphysicam; esse enim productivum effectus, est passio Metaphysica entitatis causæ, sed si impossibilis esset omnis effectus, impossibile esset productivum effectus ejusdem causæ. Quod ipsum probatur; quia omne productivum, debet esse alicujus possibilis productivum, alias daretur productivum etiam hir-

co-cervi, si productivum non debet esse possibile alicujus productivum, hoc autem est absurdum.

RESPONDERI potest. Omne productivum, debet esse productivum alicujus possibile, absolute non nisi. Nego. Possibilis sub conditione, si non implicet. Concedo. Consequenter passio Metaphysica, quæ est esse productivum, invariata maneret: quia esse productivum, non quomodocunque est passio Metaphysica, sed esse productivum, si non implicet. Alio etiam modo eidem Argumento satisfaceret. Passionem Metaphysicam duo dicere, unum in recto, hoc est suam entitatem, & aliud in obliquo, hoc est effectus possibilitatem, consequenter si passio Metaphysica, secundum id quod dicit in recto esset impossibilis etiam entitas causæ: nam communis, & eadem utriusque entitas est. Si autem passio secundum id, quod dicit in obliquo sit impossibilis, non sequitur causam fore impossibilem, in obliquo autem dicit effectum; ad eum planè modum, quo si defineret esse relatio Paternitatis in Petro, quoad id, quod dicit Paternitas in recto, defineret esse etiam Petrus, non definet autem, si defineret relatio secundum id, quod dicit in obliquo.

PROBAT 2. Arriaga. Si sub conditione possibilitatis respicerentur effectus, sequeretur omnibus possibilibus effectibus redditus impossibilibus, adhuc causam fore possibilem.

RESPONDETUR. Concedendo seq. Unde etiam, impossibili omni intelligibili, possibilis foret intellectus, quantum ex illo intellectivus. Unio item impossibilibus extremis, quantum ex illa, esset unitiva; licet à parte rei existere non possit sine extremis: quia actu existens non deposcit esse tantum unitiva, quantum est de se, sed esse actu unitiva; utpote essentialis determinatio habendi uniti.

PROBATUR 3. Potentia, quæ non potest audire, à potentia, quæ potest audire, distincta est. Ergo etiam omnipotentia quæ non potest producere omnia, distincta erit. Aliter idem proponitur. Si daretur causa productiva multorum effectuum, & præter hos effectus, cujusdam effectus, qui vocetur A; ex alia parte, daretur alia causa, quæ esset productiva multorum effectuum, non tamen effectus A. Illæ potentie essent distinctæ. Ergo & omnipotentia essent distinctæ, quarum una esset productiva omnium absolute, & alia non esset productiva.

RESPONDETUR. Si etiam hæc alia potentia esset, quantum ex illa auditiva, vel quantum ex illa productiva effectus A. non forent illæ potentie, ratione intrinsecæ virtutis producendi, distinctæ. Sed forent distinctæ, ratione alicujus in obliquo importati, si illos effectus ponere non possent, quantum ex illis. Unde etiam eadem esset omnipotentia, quamvis impossibilis redderetur aliquis effectus, modo impossi-

bilis oriatur à parte effectus, non à parte causæ.

PROBATUR 4. Repugnat virtus, quæ in se contineat eminenter Ens rationis. Sed effectus repugnans, est Ens rationis. Ergo illum omnipotentia in se non continet. Major prob. quia eo ipso, quod virtus productiva producat aliquid, producit ens reale, & non ens rationis. Et sicut bene infero à Deo non posse creari alium Deum: quia quidquid crearet, jam non esset Deus. Ita possum dicere, causam non posse producere Ens rationis: quia quidquid producit, hoc ipso est ens reale. Multis hoc Argumentum solvit Oviedo. *Sed*

RESPONDETUR Conformiter ad dicta. Quod repugnet virtus, quæ in se contineat eminenter, idque absolute ens rationis, non repugnat autem quæ contineat sub conditione, si scilicet non implicaret. Quamvis autem non producat quidquam nisi ens reale, non sequitur causam, quantum est ex illa, non posse producere etiam ea, quæ sunt non realia, si forent realia. Unde principium vitale, est connexum cum possibilitate suorum effectuum, si illi non implicent, essentialiter itent est Deo, posse elevare, ad actus supernaturales, si illi non implicent.

PROBATUR 5. Possibilitas effectus, non est à se, sed ab alio. Ergo ab omnipotentia Divina, quæ illam non liberè sed necessario producit: neque enim liberum est Deo, possibilem esse hominem, vel non possibilem: Quod si necessario illam producit, infertur existente omnipotentia, necessario emanare possibilitatem Angelis, & à posteriori bene infertur hominis possibilitas non est. Ergo neque est omnipotentia: nam hæc si esset, dimanaret ipsius possibilitatem.

RESPONDETUR posset. Duplicem quodammodo esse possibilitatem creaturæ, unam activam, quæ est ipsamet omnipotentia, potens producere, & possibilitatem passivam, quæ est ipsa entitas potens produci. Hæc possibilitas passiva, dicit in recto, ipsam entitatem creaturæ, in obliquo autem potentiam Dei. Si ergo effectus redderetur impossibilis, secundum id, quod dicit in recto, redderetur impossibilis ipsa illius entitas, non tamen redderetur impossibilis possibilitas illius, secundum id, quod dicit in obliquo: quia adhuc, quantum ex Deo, posset illam Deus producere, nisi repugnaret. Hinc impossibili reddito v.g. homine, nego quod possibilitas illius activatio non esset, imò & passiva non quidem secundum id, quod dicit in recto, sed, secundum id, quod dicit in obliquo.

PROBATUR 6. Si repugnaret equus, non posset existere omnipotentia. Ergo equus & omnipotentia sunt essentialiter connexa. Antecedens probatur. Si repugnaret equus, existeret duplex contradictorium, equus non repu-

gnans ad existendum, & equus repugnans, consequenter Deus coexisteret duplici contradictorio, sed omnipotentia non potest coexistere duplici contradictorio. Ergo non existeret impossibili v.g. equo.

RESPONDETUR. Negando Antecedens cum sua probatione. Quia supposita impossibilitate equi, jam non existeret possibilitas illius, in statu dictæ suppositionis. Unde jam non nisi uni contradictorio, coexisteret omnipotentia. Neque obstat, quod alteri contradictorio, ante suppositionem coexistit: quia de facto successivis contradictoriis, nos etiam coexistimus, ut cursui, & non cursui Petri. De cetero etiam impossibilitas ex suppositione, & possibilitas Physica, non sunt contradictoria: talibusque bene potest coexistere omnipotentia.

INSTAT 1. Incapacitas coexistendi duplici contradictorio, non solum oritur ex impossibilitate existendi duorum contradictoriorum, sed etiam ex peculiari repugnantia, ut coexistat Deus duplici contradictorio. Quod ita probatur. Si Deus coexisteret Petro, & carentia Petri, in hoc instanti verum esset dicere. Hic Deus, in hoc instanti coexistit Petro, sed hic Deus in hoc instanti, non coexistit Petro. Ergo hic Deus non est hic Deus.

RESPONDETUR. Supposita suppositione impossibili, de qua hic, falsa esset Major. Ad coexistentiam enim Petri Physicam, & independentem à suppositionibus qualem habet, hic non attenditur, & si ad illa tenderetur, Minor esset falsa: adeoque argumentum non esset demonstrativè concludens, ut supponit arguens. Retorqueri etiam posset ostendendo, simili modo arguendi, nullum probati. Formo enim Argumentum, ut & ille formavit in Camestres, proboque impossibile esse, ut Petrus qui semel existit aliquando, non existat. Deus coexistit existentia Petri, Deus non coexistit existentia Petri. Ergo Deus non est Deus. Negabis Consequentiam quia existentia & non existentia pro alio statu sumuntur: dicam & ego possibilitatem & impossibilitatem pro alio statu sumi: Nam possibilitas esset pro statu Physico: neque enim quod semel est possibile physice, reddi potest physice impossibile: impossibilitas autem erit, pro statu solo suppositionis ab intentione formato.

INSTAT 2. Deus est connexus essentialiter, cum sua scientia de possibilitate Petri. Ergo est connexus essentialiter cum Petri possibilitate: quia ipsa illa scientia possibilitatem Petri importat.

RESPONDET Oviedo. Deum connexum esse cum illa scientia, ex suppositione objecti. Addi posset: esse etiam connexum Deum cum impossibilitate illius rei, si redderetur impossibile.

Con-

Conformer ad dicta superius aliter satisfat Argumento. Quod scilicet Deus sit connexus, cum illa scientia secundum id, quod illa dicit in recto, h.e. ipsam entitatem Dei; nihil enim magis est connexum, quam idem secum, sed non esse connexum essentialiter cum sua scientia, secundum id, quod dicit in obliquo, h.e. possibilitate Petri, nisi forte connexion conditionata, h.e. si res non implicet.

INSTAT III. Deus per suam entitatem distinguatur debet, & ab hirco-cervo, & ab homine, idque necessarium, in dicta autem suppositione, non distingueretur, jam ab homine, sed tantum ab hirco-cervo seu impossibilibus. Ergo non maneret idem.

RESPONDETUR. Distinctionem illam mansuram in Deo eandem, secundum quod dicitur in recto; dicit enim ipsammet Dei entitatem. Hinc in recto, per idem Deus, & ab hirco-cervo, & ab homine distinguitur, quamvis non maneret eadem in obliquo, ratione scilicet terminorum mutatorum.

PROBATUR VII. Deus potest absolute producere Petrum, & non hirco-cervum. Ergo habet potentiam respectu Petri, quam non habet respectu hirco-cervi. Sed si Petrus non esset possibilis, non haberet talem potentiam. Ergo deficiente possibilitate Petri, deficeret aliquid intrinsecum Deo.

RESPONDETUR. Deum eandem potentiam secundum id quod dicit in recto, habere tam respectu Petri, quam hirco-cervi; sed tota varietas, ex obliquo est, videlicet terminis producibilibus: hinc impossibili reddito Petro, eadem potentia maneret secundum id quod dicit in recto, licet non maneret eadem secundum id quod dicit in obliquo.

Utrumque hoc Argumentum ex Ripal. ab Oviedo propositum, est Argumentum Antonii Perez.

Continuatur idem Examen.

PRIMA RATIO ex Perez est Disp. 5. de Intell. Dei n. 17. Deus essentialiter est omnipotens. Ergo habet essentialem connexionem cum possibilitate creaturarum. Conf. probatur, quia esse omnipotentem, est posse producere omnes creaturas. At posse producere omnes creaturas, connectitur essentialiter, cum posse produci creaturas ipsas. Ergo.

RESPONDETUR ex dictis. Deum habere essentialem connexionem conditionatam, cum possibilitate creaturarum, quantum autem est ex illo, absolute. Et sicut Thomistae admittunt Decretum absolute ex parte actus, conditionatum ex parte objecti; ita v.g. exprimibile. Volo Petrum converti, si illum Jesus intuitus fuerit; Ita & connexio illa, quantum ex parte Dei, erit absoluta, conditionata autem ex parte Cre-

aturæ, ita exprimibilis: Possum illam producere, quantum ex me, si de se non implicet contradictionem.

INSTAT I. idem. Si concedatur quod Deus habeat hanc virtutem conditionatam. Ergo necesse est concedere Deum habere essentialiter scientiam, quæ cognoscat, habere se Virtutem hanc quasi conditionatam, & cum illa scientia non sit confusa, cognosceret se habere virtutem producendi ignem, si non implicet. Ex quo ulterius formatur Argumentum. Vel scientia illa videt in igne duo prædicata contradictoria, essentiam ignis constituentia, vel non videt: Si videt, Ergo de facto ignis implicabit contradictionem; Si autem non videt, ergo Deo essentialiter repugnat, affirmare essentiam ignis involvere duo prædicata contradictoria.

RESPONDETUR. Quod sicut non est Deus conditionate omnipotens, aliàs esset conditionate Deus; adeoque non Deus, ita nec virtutem habet conditionatam producendi: Virtus enim illa idem est cum omnipotentia, sed ex se absolute omnipotens, & ex se absolute habens vim producendi, respicit objecta conditione affecta, si non implicent. Et hæc de phrasi Argumenti. Commoda tamen est hæc phrasis, quod Deus habeat vim absolutam producendi objecta, conditione affecta, si non implicent. Quod autem attinet, ad robur ipsum argumenti. Dico. Ante Casum suppositionis, non videre Deum in igne, duo prædicata contradictoria, in casu autem factæ jam suppositionis, supponitur etiam nonnisi videre illa contradictoria Deus, sed cum de facto illa contradictoria non sint, nec de facto illa videt esse, sed quia supponuntur nonnisi esse, supponuntur nonnisi videri, cum de facto non videantur; ex suppositione autem, quod supponatur Deus non posse producere ignem, non sequitur ulla mutatio, in omnipotentia: quia Major, in hoc passu, est hæc: Deus potest producere ignem, si non implicet. Sed si supponatur implicare ignis, erit hæc Minor. Sed implicat ignis. Ergo illum non potest producere Deus. Ubi ut vides, tota mutatio, est in Minori, quæ nihil de Deitate importat. Sub eadem Majori. Deus potest producere ignem, si non implicet, extra casum suppositionis. Subsumitur hæc Minor: Sed ignis non implicat; ubi etiam est mutatio in Minori; impotentiaque producendi non inferitur à parte Majoris, & quantum est ex illa, sed à parte Minoris, adeoque non inferetur impotentia producendi quantum ex parte Dei, qui est in Majori, sed à parte Creaturæ, quæ in Minori ponitur.

INSTAT II. De essentia Dei est, affirmare, de illo conceptu objectivo, ea omnia, quæ in illo essentialiter includuntur, & negare includi essentialiter ea, quæ ejus essentia non includit, at ille conceptus objectivus ignis, includit formaliter totam essentiam ignis, & nullo modo

† b

in

includit duo prædicata contradictoria. Ergo de essentia Dei est, affirmare illum conceptum ignis esse totam essentiam, & negare includere duo contradictoria. At hoc negare, idem omnino est, atque negare ignem esse impossibilem. Ergo de se essentia Dei est, negare ignem esse impossibilem, ac proinde de ejus essentia est, affirmare ignem esse possibilem.

RESPONDETUR. De essentia Dei esse affirmare ignem esse possibilem, quousque sit possibile. Sed etiam de essentia Dei est, affirmare ignem esse impossibilem, si sit impossibile; priori illi exigentiæ satisfacit nunc Deus, de facto enim est possibile, judicatque ignem esse possibilem, posteriori autem parti satisfaceret in casu suppositionis, semper tamen à parte sui, sine mutatione, quia Major in hoc passu hæc est; Nescit Deus, exigente sua essentia, possibilitatem ignis, si detur. Jam quod detur, vel non detur ponitur in Minori, quæ mutationem importat non in Deo, quia nihil in terminis Minoris, est de Deitate, sed in creatura. Et sicut nunc de facto cognoscente Deo, nunc Cursum, nunc non Cursum Petri, tota mutatio est in objecto, ita & in illo casu, foret: adeoque, ut dicebatur supra, foret mutatio ratione obliqui, importati à scientia, non ratione recti. Consultantur superius dicta.

INSTAT III. Idem. Deum esse Omnipotentem, non est posse facere aliquid, si non implicet contradictionem, sed posse facere, quidquid absolute non implicat contradictionem. Hinc Patres ex eo, quod Deus sit omnipotens, inferunt esse omniaabilia Deo.

RESPONDETUR. Omnia quidem quæ non implicant contradictionem, absolute non implicant, adeoque illa Deus potest absolute producere. Sed est difficultas: An sit formandus conceptus omnipotentia absolute ex parte Dei, conditionatus ex parte objecti, hancque partem affirmantes oppositi, negabunt Assumptum, quod procedit de formatione conceptus. Quævis autem formetur conditionatus ex parte objecti conceptus omnipotentia, bene inferri potest Deo esse omniaabilia: quia notum est aliunde, hypotheticam transire in absolutam, positam conditione; & quia nunc de facto, quæ sunt possibilia, sunt possibilia, fit, ut bene inferatur, Deo omnia esse possibilia.

II. RATIO ejusdem est. Deus essentialiter est benignus, misericors, Justus, quibus omnibus careret, si non essent creaturæ.

RESPONDERI posset. Quod Deus essentialiter sit misericors secundum id, quod misericordia primò & perse dicit, & in recto, non verò secundum id, quod dicit in obliquo. In obliquo autem est objectum misericordiae, quod est miseria nostra.

III. RATIO est. Deus habet essentialem connexionem, cum impossibilitate omnium, quæ de facto sunt chimæ. Ergo habet essentialem

connexionem cum possibilitate rerum, quæ non sunt chimæ. Antecedens Probatur. Quia Deus habet essentialem connexionem, cum impossibilitate mendacii à Deo dicendi, vel cum impossibilitate actus fidei negantis Trinitatem. Quod totum ulterius in hoc fundatur, quia essentialia est Deo non posse facere, quod implicat contradictionem. Quod ulterius in hoc fundatur, quia Omnipotentia est potestas perfecta. Si est potestas perfecta debet efficere ipsa, quod efficaciter vult, adeoque inducere inevitabilem positionem voliti efficaciter, consequenter facere impossibilem positionem oppositi, quod tamen tunc non esset: quia existente v.g. luce volita, existeret oppositum contradictoriè voliti h.e. tenebræ quas posset ponere Deus, ut tu dicis, si dicis, posse ab illo poni contradictoria.

RESPONDETUR. Conformiter ad supra dicta, Deum habere essentialem connexionem conditionatam, cum impossibilitate implicantium, vel habere essentialem connexionem, cum impossibilitate, secundum id, quod dicit illa connectio à parte Dei in recto, quod est ipsamet omnipotentia, quæ tunc secundum suum rectum immutata maneret, ut præexplicatum supra. Et licet omnipotentia debeat inducere impossibilem positionem oppositi, si illud ponibile non sit, secus si ponibile sit.

IV. RATIO Ejusdem est. Quidquid habet aliquod prædicatum, cujus carentia implicat contradictionem, habet essentialem connexionem cum existentia illius prædicati. Sed Deus, de facto, habet prædicatum scientis, creaturas esse possibiles, & implicat Deum carere hoc prædicato. Ergo Deus habet essentialem connexionem cum existentia talis prædicati, ac proinde cum possibilitate creaturarum.

RESPONSUM supra. Deum habere prædicatum scientis creaturas esse possibiles, si sint possibiles, durentque in possibilitate, nec potest Deus carere hoc prædicato, supposito quod sint possibiles.

V. RATIO. Adferri potest ex iis, quæ habet Esparza l.p.q. 16. a. 1. Causam posse facere effectum, & effectum posse fieri à causa non solum sunt convertibilia Logice, sed etiam idem realiter cum sola diversitate modi in dicendo, & apprehendendo; sicut videre & videri. Ex quo principio inferri potest, ad intentum: Ergo si illos effectus potest, quantum ex illa causa producere, etiam illi possunt produci, si autem illi non possunt à Deo produci. Ergo nec Deus illos producere, adeoque mutabitur jam Deus.

RESPONDETUR. Causam posse facere effectum, & effectum à parte causæ posse fieri, sunt idem realiter, sed causam, posse facere effectum à sua parte, non est idem cum posse fieri effectum à parte effectus: nam non repugnat ut causa illum, quantum de se producere posset, tota de reliquo repugnantia, ex impossibilitate effectus

oriente, præcipue cum per nos, non tantum de-
tur extrinseca possibilitas, sed & intrinseca, con-
sequenter in casu suppositionis, posset esse possi-
bilis extrinseca penes causam, cum impossibi-
litate intrinseca, à parte effectus.

INSTABIS ex eodem. Repugnante musca,
repugnat Deus, quod ipsum probatur, quia hoc
nihil est aliud, quam repugnare Deum, repu-
gnante Deo. Quod ipsum probatur. Possibili-
tas muscæ, & existentia Dei, sunt idem realiter,
ac proinde repugnantia utriusvis, & utriusque
est eadem à parte rei.

RESPONDETUR. Negando possibilitatem mu-
scæ intrinsecam, esse idem cum existentia Dei,
licet sit idem cum existentia Dei, possibilitas ex-
trinseca, secundum id, quod dicit in recto ac-
cepta.

Punctum Difficultatis 2.

Expenduntur Rationes negative Sententiæ.

OBJICIT I. Rec. Suar. tr. 2. Phys. disp. 5. §. 4.
Relatum transcendentaliter, dependet
essentialiter à suo termino. Omnipotentia non
pendet essentialiter à possibilibus, Ergo nec ad
illa refertur transcendentaliter, nec cum illis
connectitur essentialiter. Minor Probatur, quia
videtur indecens dicere; quod omnipotentia
divina, quæ est Deus, sit dependens à possibi-
litate formicæ.

RESPONSUM est aliàs, quod omnipotentia Di-
vina, sit dependens à formica, non dependentia
causalitatis, sed dependentia termini.

INSTAT. Etiam si omnia essent impossibilia, ad-
huc Deus potens esset producere ea, quæ non
implicant contradictionem. Quod ipsum pro-
batur: quia Immensitas Divina eadem manet,
etiam si de medio tollerentur omnes creatu-
ræ, idque ideo, quia nulla creatura dari posset,
cui illa non coëxisteret. Tum quia etiam scien-
tia Divina eadem esset, licet ea, quæ de facto
sunt futura, non essent futura. Ergo etiam & o-
mnipotentia eadem maneret, siue sint, siue non
sint possibilia. Et sicut ille, qui rotat gladium, li-
cet nihil feriat, ferire tamen aptus est; ita omni-
potentia in vacuo impossibilium constituta, li-
cet non producat, producere tamen apta esset.
Habet similem Instantiam Oviedo de Potestate
Sacerdotis ad absolvendum Turcam.

RESPONDETUR. Cum productione actuali
possibilium, non est connexio essentialis omni-
potentiæ, quia hæc dependet à Voluntate Dei
libera, ita & immensitas Divina, dicens coëxi-
stentiam actualem cum creaturis & scientia
visionis, & futurorum, non dicit essentialem
connexionem idque ideo: quia utraque pendet
à voluntate Dei libera; Esse autem omnipoten-
tem respectu possibilium, seu esse connexum
cum possibilibus, non pendet à Voluntate Dei

libera. Impossibili tamen omnino nego pos-
sibilem fore immensitatem. Nego item illum
actum rotandi gladii, esse aptum ferire, si impli-
cet, quod feriri possit.

OBJICIT II. Idem. Ut sit aliquod relatum
transcendens, debet ordinari per se primo ad al-
liud, ut patet in Actibus & potentiis. Sed omni-
potentia non ordinatur primario ad creaturas.
Tum quia omnipotentia est ipse Deus: Tum
quia, si sumatur omnipotentia absolute, prout
est Virtus producendi, & sic prior est omni crea-
tura possibili: Si autem sumatur respectivè, quo-
ad terminationem extrinsecam, sic prior est cre-
aturis, & hic Secundarius conceptus non est de
primaria ratione omnipotentia. Ergo omni-
potentia primario, non ordinatur ad creaturas.

RESPONDETUR. Qui tenent cum Smiglecio
Relationes Transcendentales, non esse de pri-
mo essentiali conceptu, absolutorum, negabunt
Majorem. Independentem ab hoc principio ne-
gatur Minor. Hinc dico ulterius, omnipotentia,
inadequate secundum id, quod dicit in recto ac-
ceptam, dicere ipsum Deum. Et sic accepta non
ordinatur primario ad creaturas, accepta adæ-
quate formaliter, dicit ipsum Deum, prout est
virtus producendi; & sic, nego primario non or-
dinari ad creaturas, tanquam ad terminum: est
enim potestas, ad sibi subdita possibilia.

Addo Deum non posse ordinari ad aliud, tan-
quam ad finem se perficientem, ordinari tamen
potest ad aliud tanquam ad terminum se indi-
gentem, à se perfectibilem.

Quod addit, esse creaturis posteriorem omni-
potentiam respectivè acceptam, explicari debu-
isset: quid sit illam respectivè accipi, respectivi-
tate de qua hic. Nec obest, quod sub aliqua for-
malitate concipiatur posterior creaturis: quia
id, quod in aliqua consideratione posterius est a-
lio, potest sub diverso respectu esse prius, per
multos. Sic in sententia, tenentium operationes
esse objectum Logicæ, in quantum fiunt à Logi-
ca, sunt posteriores Logicæ, priores autem, in
quantum illam specificant. Rursus effectus, in
quantum est Terminus Relationis Causæ, ante-
cedit Relationem Causæ, in quantum autem ef-
fectus est, posterior est causæ.

OBJICIT III. Idem. Relatum transcendens
non est magis necessarium, quam ejus terminus,
siquidem hoc sublato tollitur ipsum relatum
transcendens. Sed omnipotentia, cum sit ipse
Deus, est magis necessaria, quam ens creatum.
Hinc Ansel. in Monit. dicit: Omne quod per al-
liud est, minus est eo, quod per se.

RESPONDETUR. In ratione referibilis, rela-
tum, & terminus, non magis sunt ad invicem ne-
cessaria: quia relationis est, tantum referre, in-
dependentem à majori, vel minori necessitate re-
feribilium. In aliis tamen rationibus, relatum
potest infinite superare necessitatem essendi,
quæ posset competere termino.

OBJECIT IV. Oviedo, & supponit, quod esse possibile, non sit esse physicum, in rerum natura existens, & dum effectus possibilis non existit, æque non est, ac chimæra. Quæ suppositio in hoc sensu concedi posset, quod scilicet & chimæra, & possibile, quæ tale, actu non existant. Admissa hac suppositione, sic procedit Argumentum. Nullo genere dependentiæ, intellectus meus potest dependere ab intellectione possibili, quam nunquam eliceret, nec eliciturus est, ob defectum speciei. Ergo frustra hæc connexio inter causam & effectum possibilem fingitur. Antecedens probatur. Quia si esset aliquod genus dependentiæ, esset dependentia tanquam ab effectu, & termino. Sed hæc dependentia est nulla. Quod ipsum probatur, quia ab eo quod neque est, neque existiturum est, quomodo virtus causæ physica, physicè dependere potest.

RESPONDERET communis sententia: Quod Virtus physica, physicè in ratione termini, dependere possit à termino, licet in statu solius possibilitatis sit Terminus, quod non impugnatur, nisi sola interrogatione Oviedo. Hoc ut explicetur.

ADVERTENDUM est, quod Causa physica, ab eo, quod physicè non est, non possit physicè dependere dependentia causalitatis: Nam prius est existere, postea causare; ab eo tamen, quod non est, potest causa dependere physicè, dependentia termini. Illustratur hoc instantia petita ex doctrina ipsius Oviedo, censet ille, quod respectus transcendentalis, possit esse ad terminum non possibilem, & sic potentia cognoscitiva, habet respectum etiam ad chimæras cognoscibiles, qui respectus revera est dependens ab hircocervo, tanquam à termino: omnis enim relatio dependet à termino. Ergo ad hoc, ut aliquid pendeat ab aliquo, tanquam à termino, non est necessarium existere physicè; & Ratio est, quia dependentia, quæ est à termino, non est dependentia, quæ influat esse in rem dependentem, sed est sola dependentia ordinis, quæ potest esse, ad rem non existentem. Rursus censet Oviedo omnipotentiam ordinari ad omne possibile, & impossibile, si non implicet. Rogo si non ordinaretur ad ista sive possible, sive impossible, si non implicarent, essetne omnipotentia? si non esset. Ergo ab eo, quod non est, potest aliquid pendere, ita, ut illo sublato, non sit. Si autem esset adhuc tunc omnipotentia. *Contra dicitur*: quia & esset ut tu dicis, & non esset: quia omnipotentia extenditur ad aliud ponendum extra Deum, non enim pro termino, Omnipotentia importat Deitatem, & tamen tunc non extenderetur ad aliud, extra Deum ponendum: quia nec supponuntur possible, nec impossible, si non implicarent ponenda, sed se haberet tunc omnipotentia, sicut oculus ad sonum, ad quid ergo se extenderet illa omnipotentia. Denique censet Oviedo connexionem esse essentialem effectuum possibilem cum

causa, & si causa esset impossibilis, etiam effectus foret impossibilis; rogo quomodo id, quod non est, connecti potest cum eo quod est? quomodo illud quod non est, pendere potest ab eo, quod est? & quod responsum fuerit, probabit simul non obesse effectui ut quavis non sit, pendeat ab illo tanquam à termino omnipotentia.

QUÆRES. *Quid sit hoc pendere ab alio tanquam termino?* Dico: Est habere tale prædicatum, definitivum sui, quod prædicatum importet aliud à se, non sistendo in se, sed procedendo ad connotationem alius à se, & illud aliud, dicimus esse terminum, effectum, connotatum necessarium &c. Quomodo autem hæc dependentia sit physica, infra explicabitur. Quod autem talis dependentia possit esse etiam ab eo, quod non est, illustratur instantiis.

I. INSTANTIA est. Veritas cognitionum pendet ab objecto, quod non est. Ergo potest esse dependentia ab eo, quod non est.

RESPONDERET Oviedo. Veritatem componi ex actu, & ex objecto tanquam partibus, & sic deficienti objecto defecturam veritatem.

CONTRA est. Quia non quarimus, quare deficienti objecto deficiat Veritas: sed quare deficienti eo, quod cæteroqui non est, deficiat veritas; & si deficit, deficienti eo, quod non est, bene pendere potest aliquid ab eo, quod non est, & si id, quod non est, potest componere aliquid tanquam pars, multo magis ab eo, quod non est, potest aliquid pendere, tanquam termino.

Quod autem dicit Oviedo: Veritatem esse totum quoddam morale, adeoque posse constitui per id, quod non est, id etiam non satisfacit. Nam licet in sententia componente veritatem, ex actu & objecto, tanquam partibus, Veritas, sit totum morale: tamen hæc sententia non est admitenda, secundum dicta in Logica, & etiam si vera esset, restat illi solvendum: Cur non etiam actus Dei verus componatur ex objecto & cognitione Divina? quod si componitur, sic formabitur argumentum. Actus Dei verus, quavis in sua entitate non constituatur objecto, quod supponitur esse creatum, tamen in quantum est totum quoddam morale, componitur, adeoque pendet ab eo, quod non est. Ergo & omnipotentia, quavis in quantum est causa, non constituatur creaturis possibilibus, tamen in quantum est totum quoddam morale, componetur ex Omnipotentia, & Creaturis possibilibus, adeoque pendebit ab illis: Nam ad constituendum totum morale, non requiritur, ut utrumque sit pars, sed potest esse, utrumque totum, ut est unum morale totum, duo amici, potest esse unum tanquam terminabile, & aliud, tanquam terminativum. Denique totum istud morale, vel dependet ab eo, quod non est, vel non dependet: Si non dependet. Ergo illud aliud, non est pars illius: Si dependet, Ergo ab eo, quod non est, potest esse dependentia.

SECUN-

SECUNDA Instantia. Actus fidei respicit plura objecta, quæ non sunt, sed fuerunt, vel erunt, vel essent. Ergo potest esse dependentia ab eo, quod non est. Quod autem dicit Oviedo, Actum fidei, esse connexum, cum cognitione Dei actuali, quam habet de objecto, hoc non satisfacit. Tum quia Actus, quo ego credo futurum AntiChristum non habet pro termino cognitionis, & objecto, Divinæ cognitionis entitatem, sed entitatem AntiChristi, quæ non est. Tum quia ipse actus Dei, quem habet de AntiChristo dependet, non à se ipso, sed ab ipsa entitate AntiChristi. Tum quia omnis actus fidei, innititur revelationi, quæ jam præterit, ab eaque pendet, licet jam non existente. Nam quod dicit Oviedo esse indecens, ut Deus concurrat, tanquam Auctor supernaturalis, ad actum fidei, qui non sit intrinsicè verus, hoc difficultatem non attingit: Nam non querimus de hoc, quare actus fidei non possit esse falsus, sed quare inniti potest revelationi, quæ de facto non est, sed fuit. Commodius dixisset, actum fidei pendere à revelatione, quæ non est quidem actu, est tamen in aliquo sui: nempe in apprehensione fidelis, quam habet de illa revelatione, sibi ab Ecclesia applicata. Sed neque per hoc difficultatem solvisset. Nam illa ipsa apprehensio & applicatio, pendet ab eo, quod non est, hoc est revelatione præterita.

Obijcit V. idem. Causa non dependet ab existentia effectus. Ergo nec ab ejus possibilitate: Nam existentia actualis, & possibilis, est eadem.

RESPONDETUR Imprimis: Hoc argumentum multum probare: quia probaret possibilitatem, æquè pendere à voluntate Dei libera, ac existentiam actualem, cum possibilis & actualis existentia, sint idem. Deinde disparitas est, quia quamvis effectus existens & possibilis, hoc sensu sint idem: quia non aliud existit, quam quod erat possibile, non eodem tamen modo se habent: Nam existentia possibilis non pendet à voluntate Dei libera; non enim Deo est liberum, ut homo sit animal rationale, pendet existentia actualis à libertate Dei, existentia actualis est contingens, non est contingens possibilis; hinc à possibilitate, seu existentia possibili, penderet causa, non penderet ab existentia actuali. Et quamvis effectus, idem sit realiter existens & possibilis, quia tamen existenti competit contingentia, non competit possibili, hinc quamvis causa, non necatur necessariò, cum contingenti effectui, necatur cum possibili. Deinde cum Deus necessariò sit omnipotens, & non pendeat hoc à libertate Dei, ut sit omnipotens; & ex altera parte, cum prædicatum hoc omnipotentis, sit relativum, debet etiam habere terminum necessarium, qui est possibilis, & non actualis existentia. Dixi quod debeat habere terminum necessarium: aliàs si non haberet termi-

num necessarium, sicut terminus si non esset necessarius, posset esse, & non esse; ita & relativum illud prædicatum, puta omnipotentia, quod sine termino non posset esse, similiter secundum conditionem termini, posset esse, & non esse. Breviter loquendo: quia hoc prædicatum omnipotentia, non est tale, quod posset adesse & abesse à Deo, hinc ad id quod poterat esse & non esse referri non potest, sed debet referri ad possibile, quod non nisi determinate possibile est.

Deinde negatur Antecedens, vel distinguitur. Quod causa in actu primo spectata, non pendeat ab existentia effectus, pendeat causa in actu secundo, cum enim causa in actu primo spectata, non sit correspondens existens effectus, sed potens existere, hinc ad effectum existentem, non refertur causa in actu primo spectata, è converso, quia causa, secundum posse suum causare, est proportionatus effectus possibilis, ideò ad illam referretur causa. Addo committi hinc fallaciam accidentis, quia prædicatum quod convenit existenti effectui, transfertur ad possibilem effectum, transfertur inquam, non in quantum idem sunt, sed in quantum hoc prædicatum convenit existenti effectui, prout distinguitur, à se, possibili.

Obijcit VI. Idem. Non implicat Virtus, quæ impossibili existente effectui subsistat. Ergo necessariam connexionem non dicit cum effectui possibili.

RESPONDETUR. Negando Antecedens, de quo etiam infra.

Obijcit VII. Si daretur connexio prædicta, sublata possibilitate unius entis tolleretur omnipotentia: hoc autem est absurdum: quia si sublata possibilitate unius entis, tolleretur omnipotentia, non esset summè perfecta, hoc autem est absurdum. Seq. probatur. Si concipiatur in Deo omnipotentia talis naturæ, quæ sublati etiam omnibus possibilibus daret, adeoque sit inconnexa, perfectior erit omnipotentia, quæ est connexa, & quæ sublati possibilibus tollitur. Ergo connexa Omnipotentia non est summè perfecta. Antecedens probatur: quia Omnipotentia connexa, & Omnipotentia non connexa, essent pares in continentia effectuum, seu in virtute causandi, & præter hoc, Omnipotentia non connexa, subsisteret impossibilibus effectibus, non subsisteret connexa. Ergo esset perfectior non connexa, præ omnipotentia connexa.

RESPONDETUR. Hoc quod implicat non est perfectius, eò quod non implicat. Porro omnipotentia non connexa implicat, quod ipsum probatur. Implicat relativum, vel si vis dicere ordinatum ad aliud, sine illo alio; aliàs esset ordinatum ad nihil, consequenterque non ordinatum, sed Omnipotentia est quid relativum, ut dictum supra, vel saltem ordinatum ad aliud, non est enim causativa sui ipsius, sed aliàs à se. Si autem omnipotentia est quid relativum, & habens

terminum, terminus ille, non essent creaturæ actu existentes, ut supponitur. Ergo essent creaturæ possibiles, quæ enim alia.

RESPONDEBIS. Omnipotentiam referri ad omne possibile, & impossibile si non implicet.

CONTRA est. Tum quia Inferam. E. illa Omnipotentia, & est connexa, & non est connexa; non est connexa ut supponitur, est autem connexa: quia respicit omne possibile, vel impossibile si non implicet. Quod ipsum debes asserere, ne concedas relativum sine termino. Tum quia Purificationis conditionis, destruit conditionatum statum, consequenter valebit hæc argumentatio conditionata Omnipotentia respicit possibilia & impossibilia, si non implicet: sed implicent impossibilia. Ergo illa non respicit. Tum quia retorqueri potest Argumentum quod scilicet etiam, non connexa nisi conditionate omnipotentia non sit perfectissima: quia saltem ne sit relativum sine termino, deberet auferri, ablato conditionato illo termino.

INSTAT idem. Omnipotentia connexa, si hodie hirco-cervus non implicaret, non posset producere hirco-cervum. Omnipotentia non connexa posset. Ergo perfectior est omnipotentia non connexa, præ connexa.

RESPONDETUR. Nullam dari Omnipotentiam, implicareque non connexam; adeoque & fore perfectiorem, & non fore. Et sicut si non ens posset existere, non hoc ipso existentia, quæ extendi posset etiam ad non ens, esset perfectissima existentia; sic nec esset perfectissima omnipotentia extensa ad chimæras. Ad salvandam autem perfectissimam formalitatem omnipotentia, non esse necesse ponere actualem potentiam ad objectum, quod est chimæra conditione affectum, si non implicaret; Sed sufficit, quod haberet hanc potentiam, si non implicaret; conditionem, etiam ipsi potentia apponendo.

Punctum Difficultatis 2.

Deciditur de Difficultate.

PRÆMITTO I. *Ut creatura ex possibili impossibilis, & ex impossibili possibilis reddatur, implicat contradictionem.*

RATIO. Quia implicat idem esse, & non esse. Ergo etiam implicabit, idem esse possibile, & non possibile seu impossibile, & e converso. Quod si implicat, ut ex possibili reddatur aliquid impossibile. Hinc

PRÆMITTO II. *In presenti Questione, non aliud discuri, quam casu dato, quem format intentio, si ex possibili redderetur aliquid impossibile, an posset adhuc concipi causa cum iisdem predicatis, vel*

non; an verò variato modo, habendi se essentialiter effectum, variaretur modus habendi se causarum.

Porro affirmativa sententia, quando dicit esse connexionem inter causam & effectus possibiles, adeoque modum habendi sese causarum, alligatum esse modo essentiali, habendi sese effectum, non agnoscit aliquam connexionem physicam in isto sensu: quasi sit connexio illa in se præcisè terminans productionem aliquam, vel quasi sit quid distinctum Physicè ab ipsis entibus; sed agnoscit connexionem Physicam, hoc est, nemine cogitante.

PRÆMITTO III. *Cum tota questio inmixta sit suppositioni impossibili, ad ostendendum impossibile esse, ut causa maneat, si effectus reddatur impossibilis, ad ostendendum inquam, hoc impossibile, non potest assumi tanquam una pars contradictionis, quod scilicet defacto esset possibilis, vel causa vel effectus, sed deberet censei esse falsa, consequenter aliunde erit deducenda tunc, impossibilitas causæ.*

DICENDUM est I. *Impossibili omni effectui, causam tam creatam, quam incretam specificativè acceptam, non reddi formaliter impossibilem.*

PROBATUR I. Quia causa specificativè accepta, non dicit ordinem transcendentalem ad effectus, sed dicit esse quoddam absolutum, per hocque statuitur in esse specificativè sumptæ. Ergo ita accepta nihil perderet, casu quo effectus impossibiles redderentur. Ergo neque ipsa illa entitas redderetur formaliter impossibilis: hoc enim fit perditione nonnisi prædicati necessarii.

PROBATUR II. Quorum entitates non sunt idem formaliter, si uni entitati competat non esse formaliter, non sequitur alteri entitati competere, non esse etiam formaliter. Sed causa specificativè accepta, & effectus possibiles, non sunt idem formaliter. Ergo competente impossibilitate, seu competente non esse formaliter, effectibus possibilibus, non sequetur, causæ competere, non esse formaliter.

Major probatur. Non esse formaliter, fit per negationem esse formaliter. Sed negatio unius esse formaliter, non est negatio alius esse formaliter. Ergo neque non esse unius formaliter, est non esse alius formaliter. Et sicut esse unius formaliter, non est esse alius formaliter, ita neque negatio unius esse formaliter, est negatio alius esse formaliter. Sic v.g. esse formaliter animalis, est esse formaliter vivens sensitivum. Dei autem esse formaliter, est, v.g. esse ens à se formaliter, & negatio formaliter viventis sensitivi, non est negatio formaliter entis à se.

PROBATUR III. Mala est Consequentia: Hirco-cervus est formaliter impossibilis. Ergo & animal rationale est formaliter impossibile. Ergo etiam mala est ista Consequentia: Animal sensitivum est formaliter impossibile. Ergo & ens à se, est formaliter impossibile. Ergo ulterius

rius impossibili omni effectu, causa specificativè accepta, non redderetur formaliter impossibilis. Conseq. utraque probatur. Ideo Antecedentis illation non tenet: quia non est identitas, & habitudo, inter hirco-cervum, & hominem, ad Consequentiam autem ut teneat, necessaria est talis identitas, vel habitudo. Sed etiam inter hominem & Deum non est identitas, neque habitudo, si specificativè accipiatur. Ergo. Quæ omnia procedunt in Metaphysica suppositione: nam causam specificativè, vel reduplicativè accipi, sunt nostræ suppositiones.

DICENDUM 2. Causam reduplicativè acceptam, si effectus possibiles redderentur impossibiles, non reddi impossibilem formaliter, quoad entitatem, seu correctius loquendo, quoad id quod dicit in recto, & pro subiecto.

PROBATUR 1. Sublato connotato extrinseco, relationes aliæ secundum id, quod dicunt in recto, non tolluntur. Ergo neque sublato extrinseco connotato relationis causæ ad effectum, h. e. ipsa possibilitate effectuum, tollitur formaliter causa, secundum id, quod dicit in recto.

PROBATUR 2. Quia si sublata possibilitate effectuum, causa reduplicativè accepta tolleretur formaliter, quoad id, quod dicit in recto, hoc inde esset: quia amitteret passionem Metaphysicam. Sed hoc non probat causam tolli formaliter, secundum id, quod dicit in recto: posset enim dici, manere adhuc illam passionem, secundum id, quod dicit in recto. Ut etiam supra urgebatur.

PROBATUR 3. Quia nullum est fundamentum talis connexionis, quæ fundet, sublata possibilitate effectuum; tolli formaliter ipsas causas in recto, nullaque necessitas talis connexionis, sicut autem, non sunt multiplicanda entia, sine necessitate; ita nec multiplicanda connexiones.

DICENDUM 3. Sublata possibilitate effectuum, causam reddi consequenter & argutivè impossibilem.

PROBATUR 1. Quod dicit connexionem essentialem, & necessariam, cum possibilitate effectuum, illud saltem consequenter tollitur, sublati effectibus: jam enim connexionem illam amitteret, quæ est illi necessaria, & essentialis, cum amitteret id, cum quo connectebatur, sed causa increata v. g. dicit connexionem essentialem, cum effectuum possibilitate. Quod ipsum probatur. Non implicat contradictionem Causam increatam dicere istam connexionem, ut vidimus solvendo Argumenta in oppositum, quæ connexio, quia necessaria est, actu debet competere Deo. Ergo.

CONFIRMATUR. Si Deus non esset formaliter omnipotens, saltem consequenter redderetur impossibilis, sed sublata possibilitate effectuum, non esset formaliter omnipotens. Ergo

sublata possibilitate effectuum, saltem consequenter, redderetur impossibilis Deus. Ergo & aliæ causæ sublata possibilitate effectuum, saltem consequenter, redderentur impossibiles. Major probatur. Ponamus Deum ex una parte, non esse formaliter omnipotentem, & alium Deum formaliter omnipotentem, Deus qui non esset formaliter omnipotens, non esset formaliter Deus: non enim esset pelagus essendi, Deoq; perfectiones simpliciter simplices, debent formaliter competere; aliàs posset esse Deus, & non esse formaliter omniscius, formaliter omni bonus. Minor principalis probatur. Nullum relativum formaliter, manet formaliter, sublato suo termino. Ergo nec manebit formaliter omnipotentia, sublato illius termino: h. est, possibilitate effectuum. Cum etiam omnipotentia sit quid relativum: est enim virtus causandi in Deo, quæ semper est ad aliud.

PROBATUR 2. Si causa v. g. increata, etiam consequenter, non redderetur impossibilis, impossibilibus creaturis, id ideo esset, quia causa increata, dicit respectum, & connexionem cum creaturis, si non implicent, adeoque quod & tunc, diceret eandem connexionem cum creaturis sub conditione, si non implicent. Sed non dicit sub conditione hac, quod probatur ex dictis, ad objectionem septimam insuper sic probatur. Si diceret causa increata, respectum realem ad creaturas, non posset dicere sub conditione illa, si non implicarent, sed dicit, ut supposui supra & in Logica. Ergo. Major probatur si diceret respectum realem causa increata, ad creaturas, diceret sub conditione applicabili etiam hirco-cervis, ut oppositi concedunt. Sed non potest dicere respectum realem, sub conditione applicabili, etiam hirco-cervis; quod probatur. Si aliud Verbum non implicaret, produceret illud Pater, & tamen plenitudo illa productivitatis, non fundat ullum respectum realem, ad aliud Verbum etiam sub conditione, sed monstrat non nisi vim excellentem, & energiam generandi in Patre, aliàs mysterium Trinitatis, pluribus realibus relationibus ad intra, quàm, quas Ecclesia agnoscit, constaret. Ergo omnipotentia etiam, non potest dicere respectum realem, sub conditione, si non implicat, quæ est applicabilis etiam hirco-cervis.

Deinde, dicere, Deum habere realem potestatem, & ordinem, ad producendas chimæras si non implicent, est ridiculam reddere omnipotentiam. Ergo sub conditione possibilitatis, non respicit effectus possibiles omnipotentia. Antecedens probatur. Si quis diceret presenti Papæ, illum habere tam insignem potestatem absolvendi, ut posset ab Hæresi, etiam chimæras, si essent peccatores homines, absolvere, nonne ille, censeretur irridere Papam: Rursus, si ille qui rotat gladium in vacuo, diceret de suo gladio, non modo capita hominum posse attri-

putare, si ponerentur, sed etiam chimæras si occurrerent; annon hic ridicula loqueretur, sic etiam planè in præfenti. Certum est quod aliquando sub conditione possit monstrari energia potestatis, v. g. Si Anti-Christus confiteretur Papæ, posset illum absolvere, sed hoc tunc fit, quando ipsa conditio, non est metaphysicæ impossibilitatis.

Denique ponamus Deum, donare potestatem Angelo ad creandum omne possibile, & alia ad creandas chimæras, si non implicent, vel fingamus duos Deos, unum habentem potestatem ad creandum possibilia, & alium non nisi ad creandum possibilia, & alium non nisi ad creandum chimæras, si non implicarent; quid censetur dedisse illi Angelo Deus, imò collatio talis potestatis impossibilis esset, & ridicula, utpote nihil conferens. Sicut & excellentia Dei non nisi potentis creare chimæras si non implicarent, esset ridicula, & nulla. Ergo & sententia ponens in omnipotentia potestatem, si non implicent, non ponit realem respectum, nec quidquam reale in Deo, & tamen suppono, illum respectum esse realem.

PROBATUR 3. Si causa increata, non redderetur impossibilis, saltem consequenter, redditus impossibilibus creaturis, id inde esset: quia quantum est ex se, etiam impossibilia & chimæras producere potest. Sed hoc falsum est. Ergo &c. Minor probatur vel est aliquid ex parte omnipotentia Divinæ impossibile, vel non est quidquam, respectu omnipotentia Divinæ impossibile. Si est aliquid ex parte omnipotentia Divinæ impossibile. Ergo & chimæra, quantum etiam ex parte Dei, erunt impossibiles. Cur non enim? Quod si nihil respectu omnipotentia Divinæ, est impossibile. Ergo vera erit hæc universalis, nullum ens, quantum ex vi omnipotentia Divinæ, est impossibile. Ergo falsa ejus contradictoria, aliquid ens ex parte omnipotentia Divinæ est impossibile. Sed hæc particularis, est vera. Ergo illa universalis, falsa erit. Particularem illam esse veram sic probatur. Etiam ex parte omnipotentia Divinæ, repugnat ut Deum creet, ergo aliquid ens, etiam ex parte omnipotentia Divinæ, est impossibile. Antecedens probatur; aliàs sequeretur Deum, quantum ex parte omnipotentia, posse esse creaturam, adeoque non Deum, adeoque Omnipotentiam, quantum ex parte sui, non esse Omnipotentiam.

CONFIRMATUR. Tum quia casu quo omnia redderentur impossibilia, Omnipotentia Divina ita se haberet, sicut se haberet ille Deus, qui nihil potest creare nisi chimæras, si non implicarent, ille autem Deus non esset Deus, ergo neque verus Deus, posset esse in tali suppositione, Deus. Tum quia modus possibilitatis intrinsecæ, deposcit accommodari sibi possibilitatem extrinsecam, & continentiam in omni-

potentia, sicut quod est ex parte sui absolute album, etiam ex parte omnipotentia, est album. Ergo quod ex parte sua est absolute impossibile, etiam ex parte Dei erit absolute impossibile. Et certè si ex parte Dei, non est impossibilis hirco-cervus, ergo ex parte Dei, est possibilis, nam illi propositioni continenti duas negationes æquivalere debet affirmativa, quod si ex parte Dei, hirco-cervus est possibilis, ergo ex parte Dei, habet connexionem prædicatorum debitam, ergo & in se illam habet, quia omnipotentia, res non continet illis difformiter, & quod ex parte Dei, est albedo, etiam ex parte sua, est albedo. Tum quia si chimæra, ex parte omnipotentia sunt creabiles, si non essent impossibiles. Ergo sunt ex parte omnipotentia possibiles, (hoc enim cum creabili, in præfenti coincidit) si non essent impossibiles, hoc autem non potest dici, quia aliàs ad salvandam hanc sententiam deberent assumi prædicata seipsa destruentia, qualia sunt, esse aliquid possibile, si non est impossibile. Quæ autem hæc dicta sunt de Deo, proportionaliter aliis causis, & Deo, in casu, quo, vel una res impossibilis redderetur, applicentur.

QUÆSTIO II.

De Prædicato Prioritatis debito Causa.

Prioritas alia est Temporis, alia Prioritas a quo, quæ eadem est per multos cum prioritate originis, alia Prioritas in Quo, seu natura. Explicanda hæc veniunt, nam ad multa ferunt.

DIFFICULTAS I.

Explicantur aliquæ Prioritates.

EXPLICATUR 1. *Quid sit prioritas temporis.* Hanc prioritatem, moris est explicare per durationis antecedentiam, quæ explicatio non videtur esse per primum conceptum, quia prius est rem existere, quam durare, duratio enim est intrinsecè conservatio, conservatio autem est posterior præ existentia, unde si ponamus per possibile, vel impossibile, rem produci in primo instanti, in secundo annihilari, revera tunc res non conservabitur, nec durabit, nec habebit prioritatem temporis, utpote cujus instantanea existentia, non respondit tempus & tamen respectu aliorum Entium, habebit prioritatem existentia.

Censerem itaque prioritatem existentia, nihil aliud esse, quam antecedentiam, secundum quam unum (vulgariter loquendo) prius est

est alio, extra causas. Cui prioritati existentiae, Prioritas temporis addit mensurabilitatem; secundum prius & posterius. Prioritas autem durationis, addit esse conservationis tantae vel tantae, post primam productionem. Porro causa interdum existit prius tempore effectui, sed non semper, quia Sol lucem, cuius causa est, non antecedit tempore, nec materia quantitatem.

EXPLICATUR 2. *Quid sit Prioritas à Quo, & Originis.* Ordinariè censetur, prioritates has easdem esse. Pressius loquendo, distinguere possentur prioritates. Demum enim in uno instanti, creatam materiam sine omni forma, in secundo instanti, creatam formam privatio conjuncta materiae, in illo primo instanti, est prior formae, non prior tempore, hoc enim non habet instans post instans, vel si hoc concedas, non erit adhuc prior tempore, quia prioritas unius instantis, non est prioritas temporis. Non etiam est prior duratione, quia quando verum erat dicere, durat, sive conservatur materia; jam tunc erat forma. Non est etiam prior origine, nam privatio non est origo formae, & tamen est prior; ergo cum ei competat ratio principii à Quo. Poterit etiam competere ratio prioris à Quo. Sed in quaestione de voce, cum pluribus ordinariè loquendum. Porro prioritas originis, est prioritas, vi cuius unum accipit esse ab alio, cui condistinguendo prioritatem à Quo, dici posset Prioritatem à Quo, esse prioritatem, vi cuius unum est prius alio, quoquo modo ad se spectante, & si sit prius alio, vi communicati esse; diceretur prius alio, & prioritate à Quo, & prioritate originis, & quidem si sit per communicationem esse distincti, erit prioritas originis, etiam causis creatis competens, si autem sit per communicationem ejusdem esse, erit prioritas Originis, Divinis competens, secundum quam una persona, non est prior alia, neque tempore, neque duratione, neque existentia, neque prior intelligibilitate, nam referibilia, quales sunt Personae, simul sunt cognitione, & tamen prior est origine Pater Filio in divinis, est enim Filius Dei à Patre, non Pater à Filio, Spiritus item Sanctus accipit esse ab utroque, neuter à Spiritu Sancto.

EXPLICATUR 3. *Prioritas in Quo, & prioritas Naturae.* Ordinariè recentiores nostri, cum Hurtado, Arriaga, Oviedo, Suario recentiori, explicant prioritatem naturae, quando ab uno ad aliud non valet consequentia, & illud unum est causa alius, illud censebitur esse prius natura, prioritate in Quo, sic v.g. non valet consequentia, Adam est, ergo Abel est, & tamen, Adam est causa Abelis: in Divinis autem valet haec consequentia. Pater est. Ergo est & Verbum, nec tamen Pater causat filium, ergo non est prior naturae filio.

IMPUGNATUR 1. haec explicatio. Quia si ad prioritatem naturae, dicta requiruntur, vel accipitur causa secundum solam entitatem, vel ac-

cipitur secundum quod formaliter causa est. Si accipitur secundum entitatem, sic verum est, quod ab entitate causae, non sit consequentia ad effectum, sed etiam è converso, ab entitate effectus, non est consequentia ad entitatem causae, quia haec entitas, poterat in alio saltem rerum ordine, naturaliter ab alia causa produci, & in praesenti rerum ordine, saltem per casum extraordinarium, quod si non datur subsistendi consequentia, ab entitate effectus, ad causam entitativè acceptam, causa entitativè accepta, respectu effectus, non habebit prioritatem naturae. Quod si accipiat Causa prout causa est, sic sunt correlativa, & unum non est prius altero; nam relativa sunt simul naturae, & sicut valet consequentia: Effectus est, ergo causa est, ita tenet haec; est causa qua causa, seu causans, ergo & effectus est.

RESPONDERI potest. Quod causa debeat sumi secundum entitatem, & in actu primo, effectus autem, in actu secundo, sed si sic sumantur, ab entitate causae, non tenebit consequentia ad effectum in actu secundo, tenebit autem consequentia, ab effectu in actu secundo, ad entitatem causae.

IMPUGNARI solet secundò. Etiam à causa in actu primo spectata, valet subsistendi consequentia ad effectum: ergo causa ita spectata, non est prior naturae. Antecedens probatur. Tum quia etiam in actu primo spectata causa, non potest esse sine effectu possibili; Cur ergo ad illud non dabitur subsistendi consequentia? Tum quia etiam in actu primo spectata, est relativa ad actum possibilem. Tum quia in actu primo spectata, requirit decretum Dei, quo velit illum effectum produci. Sed à decreto Dei, valet consequentia ad effectum. Ergo & à causa in actu primo spectata, valebit consequentia ad effectum; nam causa in actu primo, importat etiam hoc decretum.

RESPONDERET Oviedo. Quod à causa spectata in actu primo, etiam cum illo decreto, non valeat consequentia, ad actualem existentiam effectus, respectu cuius causa, in actu primo spectata, prior est naturae, &c. &c. haec responsio

NON SATISFACIT. Quia tenet consequentia, ab illo decreto, saltem ad effectum in actu primo, & tamen etiam respectu illius, decretum Dei, est prius naturae, & causa ejusdem. Quod autem dicit decretum Dei, secundum suam entitatem spectatum, posse esse sine existentia effectus, quamvis non secundum formalitatem decreti, hoc erit recurrere ad connotata, quae impugnat Oviedo.

RESPONDETUR aliter ex Vasquez & Herize, quod decretum efficax, qua efficax, non se teneat ex parte actus primi, cum constituatur per effectum, & non praesupponatur ad effectum. Haec etiam responsio

Non

NON SATISFACIT. Quia accipio decretum, non qua efficax sed qua causa est, & ex dictis arguo, debere ab illo tenere consequentiam ad effectum, quia impossibile est, causam proportionatum, non respondere effectum, positoque illo decreto, vel non potest non fieri ex suppositione saltem, effectus, ergo dabitur ad illum subsistendi consequentia; vel potest non sortiri effectum, ergo quod Deus vult, potest non impleri ullo modo.

RESPONDERI posset cum recentiori Suarez. Causam spectatam virtute, posse concipi sine effectu, quamvis per accidens, hoc est, spectata Divina voluntate extrinseca efficaci, non possit non sequi existentia effectus.

NON SATISFACIT. Quia etiam virtus illa causae, non potest intelligi sine effectu. Deinde non apparet, cur à decreto Dei, teneat consequentia ad effectum, & non teneat à causa alia.

Ut intelligatur, quid sit prioritas naturae.

PRÆMITTO 1. Quod ad hoc, ut aliqua censetur priora naturâ, debeat unum Physicè pendere in suo esse ab alio, unde in physicis, frater major natu, non est prior naturâ, præ natu minori, quia minor natu, non procedit ab illo.

PRÆMITTO 2. Non solum esse necesse ad prioritatem naturae, ut unum dicatur pendere ab alio, sed etiam necesse esse, ut utrumque, relativè non sumatur; nam relativa, sunt simul naturâ, de quo etiam, actum in Logicis.

PRÆMITTO 3. Nullam esse necessitatem, confundendi prioritatem naturae in Quo physicam, & prioritatem Logicam, seu, à quorum altero, non tenet subsistendi consequentia, propter Aristotelis auctoritatem, infra ponendam. *His præmissis*

EXPLICATUR prioritas naturae. Illa formaliter priora sunt naturâ, quorum unum producit aliud, tanquam vera causa, sive teneat ab illo subsistendi Consequentia, sive non: Ratio. Auctoritas Aristotelis qui in Post præd. cap. II. *Alia autem naturâ* (supple posteriora sunt) *ea inquam omnia quae ejusmodi sunt, ut sine illis esse non possint, non item sine illis alia, & quia apud Aristotelem, Esse, pro existentia sumitur, nos verò Causam definivimus per determinativum ad existentiam, sensus erit: illa naturâ priora sunt, quae inter se cum sint connexa; unum producit esse seu existentiam alterius, sine qua datione, non existeret; aliud autem non dat, sed recipit ab illo existentiam. Ibidem autem ait: Videtur, inquit, ultra jam dictos modos, alius quidam esse prioris modus, eorum etiam quae essendi consequentia convertuntur, alterum quod est causa quovis modo, ut alterum sit, prius naturâ non incongruè dici potest. En Aristotelem condistinctuentem prioritatem naturae, à subsistendi consequentia. Deinde ex communi Theol. in Divinis nulla datur prioritas naturae, quod ægrè*

salvari potest nisi dicatur, ubi intervenit prioritas naturae, debere intercedere causalitatem veram; & ita in Divinis valet hæc consequentia. Hæc Persona Patris est, ergo est Deus, non autem valet hæc; Persona Deus est, ergo Pater est, & tamen ly Deus respectu Patris nec habet prioritatem causalitatis, (nam in Divinis nihil causalatur, nec habet prioritatem originis, quia Pater non est ullo modo originatum, nec habet prioritatem naturae, quia una eademque formalissimè natura, Deitas est, & natura, quam dicit & habet Pater. *Vnde*

INFERES. Prioritatem subsistendi consequentia, esse prioritatem præconceptibilitatis ratione universalitatis, sive ratione alicujus radicis Metaphysicæ vel principii &c, vel prærequisiti.

DICES 1. Condicio est prior natura effectu, & tamen non est causa. Ergo esse prius naturâ, non constituitur per esse causam.

RESPONDETUR. Dispositiones suo modo, licet latius, revocari ad genus causae; adeoque revocativè sunt priores natura rigorosè autem loquendo, potest aliquis negare Antecedens.

DICES 2. Explicari prioritatem naturae per causare, est idem per idem explicare.

RESPONDETUR. Quod non, quia cum de causa dicitur, quod sit prius naturâ, dicitur de principio sua Passio, quando autem ly prius naturâ explicatur per causam, explicatur Passio per principium, quod principium, nempe causa, supponitur alibi explicatum.

DICES 3. Si ad prioritatem naturae sufficit quod unius esse, sequatur ad esse alterius, sequitur Causalitatem esse priorem naturâ effectu. Sed non est prior. Ergo.

RESPONDETUR. Negando sequelam, causalitas enim non est causa. Prioritas autem naturae per nos, soli causa tribuitur, sed est potius prior prioritate à Quo. Quamvis autem actio denominet Agens prius naturâ præ effectu, ipsa tamen non est naturâ prior effectu, nam alias, quia etiam constituit Actio effectum posteriorem naturâ, deberet illo esse posterior.

DIFFICULTAS II.

An omni Cause conveniat Prioritas existentiae.

NEgant aliqui Thomistæ sub distinctione: N quod scilicet id, quod nunquam existit, operari non possit, possit tamen si existerit, operari, idque in instanti sui non esse, quod primo sequitur, post suum esse. Conveniunt tamen in hoc, quod nihil possit causare intrinsecè quod non existit, quia causare intrinsecè, est da-

re suum esse in partem, quod autem non est, non potest dare suum esse in partem. Procedit ergo cum illis disputatio de causare extrinseco.

DICENDUM est. *Si aliquid non sit existens, vel in se, vel in aliquo sui, non potest causare physice.*

RATIO prima est, ex recentiori Suar. per auctoritatem Aristot. qui ad effectum in actu, requirit causam in actu.

RESPONDETUR. Non agere hic Aristotelem de actualitate existentiae, sed de actualitate causalitatis.

RATIO secunda ejusdem. Quia prius est esse, quam ejus actuale operari, siquidem operari, est proprietas illius consequens, res autem non existens, nullum habet esse actuale.

RESPONDERI posset. Quod causae, quae existit immediate ante, conveniat prius esse actuale, nec probat argumentum: Cur talis sola prioritas non sufficiat, quamvis enim operari, sit proprietas causae, non probatur tamen, cur operari, non possit esse proprietas causae, etiam ejus, quae non nisi immediate ante existit.

RATIO tertia ejusdem est. Agens modo distans a passio, non potest operari in illud, licet immediate, ante fuerit indistans, ergo neque agens potest operari, si immediate existerit ante.

RESPONDERI potest. Absurdum quod advertitur in antecedenti, non posse applicari ad consequens.

RATIO quarta est ex Arubal. causa quae nunquam existit, operari non potest, ergo nec ea, quae non existit, sed immediate existit, quia hoc, quod est aliquando existisse, perinde nihil est Physice, ac si nunquam existisset. Ejusdem Auctoris insuper.

RATIO quinta est. Non potest causa causare post mille annos. Ergo nec in instanti, sui non esse, consequente suum esse. Consequentia probatur eadem ratione qua superior.

RESPONDERI potest. Utrique rationi, quod consequentiam probet per id ipsum, quod negant Thomistae. Rursus etiam per communem sententiam, conceduntur aliqua temporis immediate sequenti, post existentiam viventis, v.g. prolatio nominis Jesu amputato capite, retractatio ad puncturam &c. quae tamen cadaveri jam frigido non conceduntur, ita & in praesenti concedi posset operatio causae, quae immediate ante existit, licet non concedatur causae, quae nunquam existit.

RATIO sexta. Si posset causare non existens, posset efficiens non existens, operari, adeoque posset homo non vivens sentire, peccare &c.

RESPONDERI posset. Negando minorem; probatio illius non tenet ob disparitatem. Quia sentire, peccare &c. est actio vitalis, adeo-

que viventis, si ergo non vivat, quomodo viveat agendo, seu vitaliter operando.

RATIO septima. Nemo dat quod non habet, causa non existens non habet esse.

RESPONDETUR. Per multos in instanti donationis donans, non habet dominium, & tamen in instanti donationis dat, sufficitque, quod in ante habuerit ita & in praesenti.

Ut conclusio probetur, ad partes, illius advertendum est, una dicit implicitè, quod sufficiat ad causandum physice, existere in aliquo sui, alia dicit explicitè, si neque in aliquo sui, neque in se existit, non poterit quidquam causare ullum efficiens.

Prima Pars.

PROBATUR 1. Generatio posthumi, est vera causatio physica, & tamen generatio posthumi, non habet causam physicam in se existentem, sed tantum in virtute, hoc est in semine praecise. Ergo ad causare physice, saltem interdum, sufficit, existere in aliquo sui.

PROBATUR 2. Causa in se distans & tantum indistans ratione virtutis, potest bene causare Physice, ergo & non existens in se, sed tantum in aliquo sui, poterat bene causare physice. Probatur consequent. quia sicut sine existentia, ita sine immedatione, non fit causatum & tamen hoc non obstante, sufficit immedatio virtutis.

PROBATUR 3. Tum quia nulla in hoc implicitantia vel absurdum, tum quia dantur virtutes, quae non indigent immediata unione cum causis, ut patet in multis, praecipue in seminibus, sono &c. quod si non indigeant virtutes cum causa, immediata unione, non est ratio cur haec pereant immediate, pereunte sua causa. Rursus si non pereunt, non est ratio, cur cum iisdem suis proprietatibus non mutatis physice, existere non possint, quod si non mutatae existunt, sicut existente causa principali, verè operari possunt, ita poterunt etiam deficiente principali.

Secunda Pars.

PROBATUR 1. Quia pro hoc asserendo, nec ulla ratio est, nec ullae experientiae, ergo talis vis non debet tribui causis.

PROBATUR 2. De Causa agente, in instanti, immediate sequenti suum non esse, falsa est haec propositio de secundo adjacente. Causa est, ergo etiam falsa erit haec de tertio adjacente, causa est causans, consequentia probatur. Propositiones quae non sunt conditionate explicabiles, & sunt de praesenti, si sint de tertio adjacente, verificari possunt, si fiant non nisi de secundo adjacente, ut constat ex sumulis. Haec propositio: Causa est causans in instanti immediate suum non esse consequente, est propositio non explicabilis conditionate, & est de praesenti, ergo. Dixi nisi explicetur conditionate. Quia in Suarii principiis, haec propositio attri-

nae

nae veritatis; Homo est animal rationale, quia habet sensum conditionatum, ideo non potest illa concessa, verificari hæc; Homo est.

CONFIRMATUR. Implicat contradictionem, ut causa non existens in instanti immediate sequenti suum non esse, sit; ergo etiam implicat ut in instanti immediate sequenti suum non esse, causet. Antecedens probatur, quia aliàs esset & non esset illa causa. Consequentia probatur, quia in illo instanti, de causa verum esset dicere, non est causa, ut supponimus; verum etiam esset dicere, est causa; quod probatur, quia verum esset dicere, causa dum non est, causat, porro ly causat est explicabile per participium præsens, est causans; ly autem est causans, idem est; quod est causa, ergo etiam de illo instanti verificaretur quod sit causa, adeoque verificaretur duo contradictoria.

RESPONDETUR. De illa causa verum esset dicere est causa, non in isto sensu quod existat causa, sed in illo, quod influat in effectum.

CONTRA est. Quia hæc responsio videtur petere principium. Deinde hoc ipsum quod est, esse influens in effectum, idem est, quod esse causans, adeoque esse causam, redibitque argumentum factum.

PROBATUR 3. Conclusio. Implicat esse actionem, & non habere actu existens principium suum, sed si aliquid, etiam in instanti immediate sequenti, suum non esse, causaret, nec in se, nec in aliquo sui existens, daretur actio, & non haberet existens principium suum actu, de hoc enim procedit status questionis, ergo. Major probatur. Tum quia si non implicaret contradictionem actio, non habens actu existens principium, illa actio, esset verè à nihilo. Tum quia, si per impossibile defineret Deus, in instanti immediate sequenti, suum esse, non posset creare, ex nihilo enim, nihil fit. Ergo neque quodcunque aliud principium in tali instanti ageret. Tum quia si non implicat contradictionem ut actio habeat non existens principium, quæro, in istis duabus contradictoriis: Omne non existens potest esse causa, aliquid non existens non potest esse causa, quænam sit vera? si prior, ergo etiam quæ nunquam existerunt, poterunt esse causa; si secundum, non erit major ratio de uno non existente, quàm alio. Tum quia in instanti, quo actio non est, sed immediate ante fuit impossibile est, ut producat effectus, esset enim improductus, utpote existens sine actione, ergo etiam in instanti, quo agens non est post esse, impossibile est ut producat actio, nullum enim est fundamentum majoris connexionis, quæ fit in actione ad effectum, quam in actione ad principium. Tum quia implicat ei quod non est physicè, identificari Prædicatum positivum physicum; aliàs & esset illud Prædicatum ut supponitur, & non esset, utpote identificatum ei, quod non est, sed causare seu

causativum esse, prout præsupponitur actioni, est Prædicatum physicum, causativum enim esse, est independenter ab intentione, adeoque est Prædicatum physicum, & cum nihil neget, est Prædicatum positivum. Ergo esse causativum, ei quod non est, sed fuit identificari non potest.

DIFFICULTAS III.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Sacramenta novæ legis causant gratiam cum non sunt. Ergo; Antecedens probatur; quia forma v. g. Absolutionis causat gratiam cum ultimo completur, quando autem ultimo completur, non est, quia profertur motu successivo, motus autem successivus quando completur, non est, motus enim successivus, non est in instanti, & tamen completio illa in instanti est.

RESPONDET aliqui. Causari gratiam à Sacramento moraliter, adeoque posse ab illis causari etiam cum non sunt. Qui tenent causari illam physicè, & admittunt indivisibilia compositiva temporis, dicent, illam causari in instanti: in nostris principiis causatur gratia instantaneè, sed nullo proportionato respondente in tempore. Sed hoc alibi.

OBJICITUR 2. Humanitas Christi non existens physicè, causabat gratiam sanctificantem in Patriarchis.

RESPONDETUR. Causationem illam non fuisse physicam, sed non nisi impetratoriam, & per modum meriti.

OBJICITUR 3. Contiguitas loci sufficit ad operandum: Ergo & contiguitas temporis: sed instans immediate sequens, de quo hic, est contiguum existentia in tempore. Ergo.

RESPONDET Oviedo. Quia id quod non existit in hoc loco, sed in alio, absolute existit, & habet entitatem, ideo potest & causare, illud autem quod non existit in hoc tempore, absolute non existit.

Hæc responsio indiget ulteriori lumine, restitui enim potest argumentum. Id quod non existit in hoc loco, eo quod habeat entitatem in alio loco, causare potest. Ergo, & id quod non habet existentiam in hoc tempore, cum in alio tempore conveniat illi existentia, causare potest. *Huic commodius*

RESPONDET 2. Arriaga. Retorquendo Argumentum, quod etiam causa in instanti antecedenti existentiam, posset causare, quod negant oppositi.

RESPONDET 3. Disparitatem esse, quia nulla est pro Antecedenti implicancia, quam pro consequenti probant adlata.

Obj.

Obijctur 4. Finis causet non existens, cognitio item pender ab objecto & tamen ab illo causetur.

Respondetur. Finem non existentem in se, existere in aliquo sui, hoc est, in apprehensione & amore, in mediis item ad quæ movet. Obiectum etiam in aliquo sui causet, nempe in specie sui impressa.

Obijctur 5. Vivens moritur in hoc instanti, in quo non est; ergo potest operari, in quo non est.

Respondet Oviedo. Negando consequentiam. Antecedens iste est sensus; vivens quod in instanti antecedente fuit, potest non esse in hoc instanti, in quo non est, inde autem non sequitur, quod aliquid non existens operari possit, mors enim non est operari. In idem recidet, si dicas, vivens ampliative, mori.

Obijctur 6. Res actu non existens, potest uniri rei actu existenti. Ergo & id, quod non existit, causare potest. Antecedens probatur, quia partes motus & temporis uniuntur, & tamen simul non coexistunt.

Respondetur. Quoniam per nos, continuatio non est modus aliquis positivus, convenire poterit etiam ei, quod non est ens; nam continuari partes temporis, nihil aliud est, quam inter: Nunc, illud motus, quod præterit, & inter motum; Qui est, nihil intercessisse quietis, in qua quiete, non verum esset dicere: Nunc motus est.

Obijctur 7. Dispositiones accidentales causant formam sequentem cum non sunt, quia ante introductionem formæ, datur resolutio ad materiam primam. Ergo.

Respondetur. Negando Antecedens cum sua probatione.

Quæres. An existentia sit conditio, an ratio formalis agendi? ad quod dici potest, in sensu reali existentiam non esse conditionem, sed ipsummet principium agendi, cum sit identificata principio agendi. Metaphysicè tamen loquendo nec ipsa essentia, nec ipsa existentia sub his conceptibus acceptæ, important rationem causandi, cum importent nonnisi suas definitiones, quæ nihil dicunt de actione. Unde jam existentia deberet appellari prærequisitum agendi.

QVÆSTIO III.

De Prædicato indistantiæ debito causis.

Eandem quæstionem sic alii proponunt: An Agens agere possit in distans passum, vel: An requiratur inter agens & passum contactus, vel: An possit agi in remotum, non agendo per medium.

Indistantiam & Contactum variam habere acceptionem; apud alios videbis, nominatim a-

pud Pontium. Quantum ad præsens institutum actinet, certum est apud omnes, non esse necessarium, ut agens, immediatum sit passio, immeditatione suppositi, nam suppositum quod est v.g. Sol, existens localiter in cælo, agit illuminando & calefaciendo distantem terram. Dubitant aliqui cum Scotistis: An non debeat esse agens immediatum immeditatione virtutis, quod in duplici sensu capi potest: Primò: An ad hoc ut agens agat, debeat per medium virtutem suam transfundere, ita ut agat producatque aliquid etiam in medio; Secundo: Si non agat quidquam in medio, transmittat tamen virtutem suam, an possit agere in distans passum? Est Quæstio passim tractata, breviterque decurrenda.

Dicendum est 1. *Agens ut agat, debet per medium, virtutem suam transfundere.*

Probatur experientiis. Quia aliàs clausis palpebris possemus videre, clausis fenestris possemus illuminari & cætera similia. Supponit hanc doctrinam Aristoteles. 7. Physicorum T. primo, & primo de Gener. T. 43. & secundo de Anima tex. 74.

Obijciuntur 1. aliquæ experientiæ, ut Magnetis trahentis ferrum, acus magneticæ se vertentis ad polos.

Respondetur. Hæc referri possent in qualitates occultas, transmissas usque ad passum, non agentes in medio, ob incapacitatem medii, referri etiam possunt in naturas rerum, ab effectu & experientiâ cognitæ, de quibus Cabæus & Kircherus.

Obijci 2. Mastrius disp. 7. n. 62. Instantias Theologicas.

1. INSTANTIA est. Si per impossibile non esset Deus ubique, cum agat per suum velle, ita ut statim ac vult efficaciter aliquod objectum, subito accipiat objectum illud esse existentia, sequitur evidenter, posse producere aliquid à se ipso distans; quia objectum voluntatis non debet esse necessariò præsens, sed potest voluntas velle distans.

Respondetur. Si per impossibile Deus non esset ubique, ageret tamen per suum velle, ageret tunc per suum velle, neque enim jam hoc ipso intelligi deberet Deus non volens, sed quia hoc velle agit media Omnipotentia quam applicat, in modo applicandi eandem, esset magna diversitas: quia enim omnipotentia tunc non haberet conjunctam sibi ubiquitatem, deiceretur hoc ipso, ut non possit agere ubique. Sicut enim si omnipotentia Divina non existeret, agere non posset ita, si nec in se, nec in aliquo sui alicubi existeret, agere posset, jam enim se haberet ac si non esset. Et licet objectum voluntatis in ratione merè appetiti, præsens esse non debeat, appetet enim ubi est appetitivum, tamen objectum in ratione respōdentis, principio effectivo, præsens esse debet.

† c

Imò

Imò exinde roborari potest conclusio: nam non potest agere appetitivum nisi ubi est appetitivum, idque in se, quia appetitivi vicaria non dantur, ergo neque agere illic, ubi non est, nec habet sui vicarium, cum aliis principalis agentis dantur vicaria activa.

SECUNDA Instantia est. Angelus superior, potest intuitivè alterum angelum cognoscere, ad quam cognitionem inferior angelus, immediatè, non per speciem debet concurrere, hoc enim est de ratione intuitivæ cognitionis, nec debet esse intimè præsens intellectui superioris, alias si in eodem loco non essent, nunquam angeli intuitivè se cognoscerent.

RESPONDETUR. Cum Angelus cognitus non concurrat ad cognitionem nisi terminativè, quam ipsam terminationem exercet in sua specie expressa, quæ est intimum quid cognoscenti, non ostenditur quod Angelus cognitus, agat tunc in distans, & terminet cognitionem, nec in se nec in aliquo sui præsens, est enim præsens in specie sui expressa. Illud quod dicit, Angelum intuitivè cognitum, non esse Angelum cognitum per speciem, si sit res de specie non propria, vera est propositio, sed negatur non posse dari species proprias, quæ deserviant ad notitiam intuitivam, neque enim per hoc unquam definitur cognitio intuitiva, quod sit sine speciebus. Reducendo autem ad rationem prædictam, disparitas est; quia cum hoc, quod est terminare cognitionem non requirat existentiam termini, unde etiam non entia nosci possunt, etiam terminare poterit non requirendo indistantiam fundabilem, in ratione existentia; cum autem effectus & causa physica debeant existere, & cum causa nec in se, nec in aliquo sui præsens, habeat se ac si non existat, sit ut non existens in se, nec in aliquo sui causa, causare non possit, causa autem distans est causa, nec in se, nec in aliquo sui, inibi existens.

TERTIA Instantia est. Anima separata intuitivè cognoscit materialia, quæ non sunt intimè præsentia ipsi animæ. Ergo objecta ista causabunt aliquid in distans, absque eo, quod medium aliquid recipiat.

RESPONDETUR. Quod materialia sint animæ præsentia in aliquo sui, nempe in speciebus vicariis propriis materialium, quæ sibi tunc vel parat anima, vel à Deo infunduntur, & si res sit de concursu terminativo, de hoc jam dictum supra.

Obijciunt III. idem ex principiis Philosophicis. Actio illa prævia, qua passum alteratur, non facit, ut agens, propriè in distans, agere non dicatur, quia hoc est per accidens, quatenus agens cum sit imperfectum, natum est prius agere, secundum potentiam imperfectiorem, quæ est alterativa, postea secundum perfectiorem, quæ est generativa, & si à Deo applicaretur subiectum ultimo dispositum illi agenti, statim ageret generando, non alterando.

RESPONDETUR. Si arguens applicationem requirit ultimo dispositum subiecti, hoc ipso requirit indistantiam.

Directè ad argumentum dici potest. Negando quod actio alterativa non ex eo etiam præcedat generativam, ut à generabili non distet agens,

Concedo, quod agens imperfectum agat prius, secundum potentiam imperfectiorem, sed nego quod alteratio non etiam ex eo præcedat generationem, ut salvetur indistantia agentis.

Concedo, quod si à Deo applicaretur subiectum ultimum dispositum, fieret statim generatio, sed cur? quia non jam esset distans generabile, siquidem supponitur applicatum. Ubi ut vides, concedo alterationem præcedere, ex imperfectione agentis, sed etiam præcedit ad salvandam indistantiam agentis, à passo, cui agens conjungitur in aliquo sui, nempe illa virtute.

INSTAT I. Ergo hæc influentia è cælis emanata, recipiuntur etiam in cælis, & tamen frustra; cum nec per æternitatem possint aliquid in cælis producere.

RESPONDETUR. Recipi illas qualitates in intermediis (si dantur) cælis, non tamen frustra, quia licet nihil sint unquam producturæ in illis, conjungunt tamen agens cum ipso producendo effectum & ratione illius conjunctionis, non sunt frustra.

INSTAT II. Ista virtus non deberet esse simplex qualitas, quia non posset tot & tam varios effectus producere, nec etiam plurificaretur ad plurificationem effectuum, quia totum universum, esset plenum variis qualitatibus & influentiis.

RESPONDETUR. Indubie una qualitas, potest producere plures effectus, non tamen omnes, quia hoc videtur excedere limitationem illius, unde nec plurificabitur pro pluralitate effectuum: consequenter medium quid continget, non erit una qualitas tantum, nec plurificata pro pluralitate effectuum, erunt tamen plures, licet numero non nobis, sed Deo notæ, varietasque dispositionum subiecti faciet, ut una virtus, variè agere possit, præsupposita sua virtute intrinseca.

INSTAT III. Potest agens producere effectum, quem non producit in medio. Ergo etiam potest agere in distans, quia prævia illa operatio, ad nihil prorsus conducit.

RESPONDETUR. Transmissio illa virtutis per medium, non producendo in illo, quod producit in distanti, facit ut in aliquo sui existat agens, quod ex dictis est necessarium; alias inibi ubi agit agens, ita se haberet, ac si non esset.

INSTAT IV. Quia non videtur quomodo fiat approximatio causæ ad passum distans, per productionem effectus, in medio omnino diversæ rationis.

RESPONDETUR. Ideo: quia si in medio operetur, apparebit à posteriori esse illic ejus virtutis, adeoque dum operatur in distans, existere illic agens in sui virtute, quam, non est intelligibile, qui transmittere possit, sine medio. Unde non effe-

effectus in medio productus ad hoc conducit, sed virtus, per medium transmissa, & in medio operans effectum, quem aliàs in sua virtute continet, si passum censetur dispositum.

INSTAT V. Cum partes agentis remotæ à passo, nihil agant in propinquiores, sed agant immediatè in passum distans, nulla operatione secuta in medio. Ergo conceditur, quòd magis possit agere in ferrum distans, non agendo in medium, continuatioque inter agens & passum per intermedium aërem, est ob vitandum vacuum, non ad deferendam actionem.

RESPONDETUR. Nulla quidem tunc sequitur operatio in medium, sequitur tamen transmissio virtutis, nec medium illud defert actionem, quæ est modalitas, vel non sine modo, consequenter non transmissibilis, sed defert virtutem activam; quæ licet nihil operetur in medio, sufficit ut sit in medio, nam si erit in medio, adhuc agens in aliquo sui, conjungetur passo.

Noro. Totam hanc conclusionem in hoc resolvit, quia non datur ex una parte ulla experientia actionis in distans, ex altera parte materialis virtus non potest transmitti nisi per medium, aliàs autem transmitti debet, ne causa agat, quæ nec in se, nec in virtute sua existit.

Notabilis est illa experientia, in oppositum de Lebe, cujus fundus, in quem immediatius agit ignis, est frigidus, remotiores autem partes sunt calidæ. Arriaga advertit, quod agat ignis, primum in partes laterales lebetis, proximiores, & postea in remotiores, quare autem non calefaciat fundum, hoc non spectat inquirere, ad præsentem difficultatem. Frigus illud lebetis, refert Oviedo in exhalationes frigidas, & terras, quæ descendunt in fundum lebetis. Recentior Suarez dicit, prius fundum lebetis calefieri, & aquam illi contiguam, sed calefactam, utpote leviolem sursum ascendere, & frigidiorlem utpote graviorem deorsum, ab eoque descensu, frigus illud causari. Addi posset, bulliente aqua intercipi partes frigidas aëris, & in fundum lebetis transmitti, ubi continetur tepor ille, ut ita dicam, concentratus, quanquam etiam experientiam absolutè negat Arriaga.

Ex experientia phantasiæ moventis appetitum, non probatur actio indistans; quia vel in eodem cerebro utrumque est, vel est connexio aliqua transmissione spirituum.

Si autem dicas. Cum actio sit modus, adeoque inseparabilis à Subiecto, qui erat transmissibilis à Subiecto? Negandum erit, actionem transmitti, sed qualitatem virtutis, quæ intermedià agit.

DICENDUM II. *Quamvis agens non agat in medium, modo transmittat virtutem per medium, potest agere in distans.*

PROBATUR Conclusio experientis. Quia si instruat agensus rogi remotiores partes caloris non agunt in medium, quia non possunt in calidum sibi simile agere, & tamen agunt in re-

motius, magis enim calefit passum, à toto monte illo accenso, quàm ab aliquot lignis. Virtus solaris, & planetarum influxus, Mineralia producit, simile nihil producendo in aëre, rursus columna magna gravitas, secundum partes remotiores non agit in medium, & tamen major columna, magis gravat. Ergo in distans conjunctum, dari potest actio, non agendo in medium. Quod si quæras: Cum aliqua videantur non agere in distans, nisi etiam agendo in medio, aliqua autem agunt non agendo per medium, in quod principium id referri debeat, sed hujus, ut dicit Arriaga, nulla potest reddi ratio, sed referendum hoc est in experientiam, & naturam agentium. His breviter tactis, sequitur

DIFFICULTAS I.

An Creaturæ miraculosè possint agere in distans?

DICENDUM est, *Possibilem esse actionem in distans.* Est Conclusio Scotistarum, Arriaga, Oviedo, contra non paucos Thomistas.

PROBATUR I. Quia id non implicat Contradictionem.

PROBAT II. Arriaga. Quia, quod causa non possit agere in distans, non constat hoc nobis, per rationem à priori, sed per solam experientiam, quæ non infert, non posse dari alias causas, quæ non sint ad talem modum agendi alligatæ, vel ad maximum, cur miraculosè id facere non possint. Addit Oviedo. Si agens ageret in distans, nihil produceret distinctum, quoad substantiam effectus, vel quoad modum, qui se teneat, ex parte effectus. Ergo nil produceret, quod esset contra virtutem suam, & potentiam intrinsecam, ergo posset Deus, ad talem rationem agendi, elevare creaturam.

PROBATUR III. Existat ignis Cracoviæ, possibile est calorem ab illo productum à Deo accipi, & poni Romæ, vel v.g. per replicationem; possibile item est, imò necessarium, calorem illic positum producere calefactionem, ergo non implicabit actio in distans, & non per medium, quia productio caloris de novo facta Romæ, tribuitur igni, qui est Cracoviæ.

CONFIRMATUR. Indistantia non est essentia causæ, ut omnes concedunt; Ergo sublata indistantia manet essentia causæ, ergo & ulterius potentia causandi, adeoque agendi, quod ipsum, sic proponitur. Indistantia vel est essentia actionis, vel non: si non est, Ergo indistantia sublata, manere potest actio, defectusque conditionis suppleri; si autem indistantia, est de essentia actionis, ergo indistantia non erit jam conditio sine Qua non,

non, quod est contra communem doctrinam, quærereque: An agens possit agere in distans? idem erit in re, ac quærere: An possit agere sine actione? siquidem de essentia actionis est, indistincta, quæ tamen duo longè sunt condistincta.

OBJICITUR 1. Actus & potentia debent esse simul. Causa & effectus, sunt actus & potentia. Ergo.

RESPONDETUR. Actum & potentiam pro principali accepta significatione importare materiam & formam, quæ duo ut constituent compositum, debent esse simul, quomodo enim erit compositum, si utrumque à se distet, non tamen actus, & potentia, accepta in minus principali sensu, seu in ordine efficientis, nulla enim in hoc implicancia.

OBJICITUR 2. In loco, in quo res non est præsens, perinde se res habet, ac si non existat. Sed res non existens causare non potest. Ergo.

RESPONDETUR. recentior Suarez. Res non existens, non habet entitatem, si non habet entitatem, non habetur, quod elevetur ad operandum, modo sibi indebito, causa autem diffita, habet entitatem elevabilem. Dicitur etiam potest, rem quæ tam in se, quam in aliquo sui non est præsens, perinde se habere, ac si non esset, non tamen perinde se habet ac si non esset, si sit in aliquo sui.

INSTABIS. Non potest aliquid elevari, ut agat non existens, in tempore saltem imaginario. Ergo nec potest elevari, si non existat in loco.

RESPONDETUR. Si res procedat de Agente, non existente etiam in aliquo sui. Concedo totum. Si autem existat in aliquo sui, sufficit ut elevetur, siue existens in aliquo sui, in tempore, siue in loco. Quod si in aliquo sui existat in loco, in nullo sui in tempore. Negabitur consequentia. Quia si existat in aliquo sui in loco, erit quod elevetur, non erit quod elevetur, si in tempore, in aliquo sui non existat.

OBJICITUR 3. Illa actio, quæ supponitur posse dari in distans, vel proficiscitur à Deo, supplente locum agentis creati, ubi illud non est, vel ab ipso agente: non à Deo supplente, quia Deus non potest supplere principium actionis, cum hæc essentialiter pendeat à principio: Non etiam proficiscitur ab ipso principio, quia agens non est in illo loco. Ergo actio, non procedit ab illo, in tali loco.

RESPONDETUR. Negando Majorem. Quia actio illa, nec proficiscitur à Deo supplente principium, neque ab ipso immediate agente producit, sed à virtute ipsius, posita inibi miraculose, cum non fuerit transmissa, per medium.

OBJICITUR 4. Si agens creatum posset agere in distans, sequeretur illud fore infinitæ virtutis, si enim ageret etiam miraculose in aliqua distantia, non agendo in medium, non est ratio, cur in remotius agere non posset.

RESPONDETUR. Pontius ad vim hujus argumen-

ti. Quia vel requiritur imprimis ad agendum in majori distantia, major virtus, vel non requiritur: si non requiritur, ergo actio in distans, non arguit majoritatem, consequenter nec infinitatem virtutis: si requiritur major virtus. Ergo non sequetur, si agens possit agere in aliqua distantia, quod possit in omni. Deinde

RESPONDETUR. Negando sequelâ. Quia sicut non datur infinita distantia, nec dabilis est: ita nec poterit illud Agens, in infinitè distans agere. Denique ex eo, quod agens possit aliquid minus, non sequitur, quod possit Agens, agere etiam majus.

OBJICITUR 5. Spectatum agens non elevatum, non apparet qui principiet illam actionem, nec etiam intelligi potest, quomodo ab illo jam elevato, pendeat illa actio. Ergo non datur.

RESPONDETUR. Negando imprimis consequentiam, quia non infrequens est, quorum modum ignoramus, ea tamen asserere, ut reductionem materiæ in punctum quantitate sublata, transitum Angelorum ab extremo ad extremum, sine medio, &c. similia. Deinde Antecedens est falsum, quia quod attinet ad ignem v. g. non elevatum, ille suum non potest calorem impedire, ne agat in medio, sed si passum sit diffitum, non habet vim illuc porrigendi suum calorem: potest autem id facere Deus, non potest item calorem suum replicare, potest Deus. Quia autem illa actio pendeat à calore, qui est virtus ignis existentis alibi, producta ab eodem igne, sit ut ratione hujus, illa actio, pendeat ab illo igne. Cæterum, posito quod corpora, ne divinitus quidem possint transire ab extremo ad extremum, non pertranscundo medium, recurrendum ad hoc erit, ut jam innui, quod transeat quidem medium illa virtus, sed non operetur in medio, cum aliàs possit: sed id replicationem non impediet, nam in replicatione, rem replicatam, non est necesse in medio agere.

INSTABIS. Agens, non potest naturaliter agere in distans, neque extra suam spheram. Ergo nec supernaturaliter poterit, quia nihil potest elevare extra suam spheram, & ad id producendum, cujus inadæquatam, & inchoatam non habet virtutem.

RESPONDETUR. Oviedo. Agens non potest naturaliter agere in distans, non defectu virtutis, sed defectu conditionis, adeoque ad hoc, ut agat in distans, elevare poterit. Deinde dici potest talem actionem esse extra spheram naturalem, non obedientialem, inchoata autem virtus, est necessaria, in elevatione, tantum ad actus vitales, de quo aliàs; nam potest à Sacramentis produci divinitus Gratia, idque physicè, cum tamen non habeant inchoatam vim, illius producendæ.

OBJICITUR 4. Ad operandum hic, requiritur præsentia hic; ergo agens non potest operari in hoc spatio, quin sit in hoc spatio.

RESPONDETUR. Ad operandum hic, sufficere præsentiam hic, vel in se, vel in virtute sui.

Obj.

Obicitur VII. Actio, seipsa pendet ab approximatione, tanquam à Conditione. Ergo ab illa non potest non dependere; quia, quod convenit actioni per se ipsam, semper illi convenit.

RESPONDET Oviedo. Quod adæquate non dependeat ab approximatione actio, aliàs sine hac numero approximatione, non posset esse actio, dependet ergo per coexistentiam actionis, cum approximatione, & per decretum Dei, quo ex prævisione approximationis, determinavit se Deus, ut concurreret. Conformiter autem, ad materiam de connotatis dici potest, quod dependentia actionis, secundum id, quod dicit in recto, non possit ab illa separari; dicit enim entitatem actionis, secundum autem id, quod dicit in obliquo, potest bene separari; nam in obliquo, dicit istam, vel istam viciniam.

INSTANT Complutenses. Necesse est virtutem activam esse conjunctam actioni, ergo & effectui, quia actio tenet se ex parte effectus. Antecedens probatur. Tum quia Experientia id docet. Tum quia virtus activa, & principium Quo, debent esse conjuncta. Causæ, ergo & causalitas. Tum quia actio est datio esse, ergo debet esse conjuncta & causæ, & effectui.

RESPONDETUR. Concedendo actionem debere esse conjunctam ipsi virtuti, v.g. calori, & ipsimet effectui, sed non ipsimet igni, rationes etiam quæ adferuntur, non convincunt. Quod attinet ad experientiam, illa est pro actionibus naturalibus non miraculosis, imò etiam nunc de facto, ubi non est ignis, sed est solum calor, fit calefactio, cur ergo si transmittatur calor per medium, non agendo in eodem, non poterit agere in extremo.

Noro. Præsentem hanc doctrinam supponere, quod virtus, vel ipsum agens, semper debeat esse, ubi est actio, licet non sit, vel non agat in medio, cum possit: Ratio. Tum quia, si illic non est agens, vel virtus, quis inibi principiat actionem? Tum quia, illa actio vel est modus, vel indistinctum quid ab agente, prout producente effectum. Non primum; Quomodo enim productio illius modi, transmitteretur per medium; si secundum, quomodo salvaretur, quod sit illic ipsa actio, quæ est ipsum agens, si illic non est ipsum agens. Tum quia, si illic nec agens, nec virtus est, quomodo non se ita habet, ac si non esset simpliciter.

DIFFICULTAS II.

An Deus possit agere in distans à se.

Certum est: nihil esse quod sit, & tamen distans à Deo sit, sed ponamus per impossibile Deum solum in cælo existere, nec esse præsentem mundo, quæritur: An aliquid in mundo agere possit? Negat recentior Suarez.

DICENDUM est: *Possit Deum agere in distans mo-*

do explicato. Dixi modo explicato, hoc est; habendo saltem in aliqua sui virtute indistantiam, licet non esset præsens in medio, & licet non esset in se præsens, ipsi effectui, aut si esset præsens effectui, quamvis non esset præsens in medio.

PROBATUR I. Quia id non implicat Contradictionem, de quo in solutione argumentorum, & certè:

Perfectior est conceptus Omnipotentia, potentis agere in indistans, & distans, quam potentis agere, nonnisi in indistans, perfectior enim est modus agendi, qui est magis illimitatus, sicut & esse magis illimitatum, perfectius est limitatum, ergo iste modus agendi perfectior erit, de cæteroque est possibilis.

PROBATUR II. Posito quod Deus esset localiter nonnisi in cælo, haberet principium operandi immutatum, ergo eodem modo, quo nunc operari posset in mundo, aliàs hoc ipso illud principium esset mutatum. Antecedens probatur, Principium operandi in Deo non est ipsius præsentia, sed omnipotentia, ergo cum sola præsentia illius mutaretur, adhuc principium agendi, esset immutatum. Hoc ipsum Antecedens probatur. Tum quia alius est conceptus omnipotentia, alius autem ubiquitatis. Tum quia, in nobis præsentia, non est principium operandi. Tum quia, si idem est præsentia & principium operandi, præsentia in actu, esset principium agendi in actu, quod dici non potest; quia sæpè Deus est principium agendi de novo in actu, ubi non est præsens de novo in actu.

Hoc ipsum proponitur aliter. Potest agens creatum agere in distans. Ergo & agens increatum. Probatur consequentia, idèò antecedens est verum, quia sufficit virtutem illic esse & actionem, ubi est effectus, ergo etiam sufficiet, ut Deus illic sit, quamvis non sit in medio.

PROBATUR III. Non est ratio, Cur non sufficiat ad hoc, ut Deus alicubi agat, esse tantum præsentem effectui, in virtute sua, vel in se, licet non sit præsens in medio; Quod ipsum sic proponitur. Præsentia Dei, prout eum facit præsentem Romæ, vel conducit aliquid præter præsentiam, quam Deus habet Parisiis, ad agendum Parisiis, vel non conducit; si non conducit; ergo sufficit illum esse præsentem illic ubi agit; Si conducit, ergo illa præsentia, prout est Romæ, agit in distans, cum præsentia, prout est Romæ, non sit præsentia, prout est Parisiis, & tamen ingreditur actionem. Concedo tamen virtutem remotioris, conducere ad actionem distanti passu, ratione augmenti, sed quod mera præsentia conducatur ad id, non satis apparet.

Obicitur I. Si omnipotentia Dei posset operari effectum, sine præsentia ad eundem, dum operaretur; & operaretur, & non operaretur, operaretur ex suppositione, non operaretur autem; quia operatio, est ipse effectus indistans, seu unitus agenti.

RESPONDETUR. Inprimis hanc objectionem, nos non urgere, quia non affirmamus, Deum operari effectum, sine praesentia ad eundem, sine inquam praesentia, vel suae virtutis, vel sui, sed nego, quod si per impossibile in medio non esset, operari non posset. Et sicut, qui negat Deum esse realiter in spatiis imaginariis, eo ipso concedit, quia in illis ipsis incipit operari, incipit illic esse praesens, licet non sit praesens, in reliquo spatio imaginario; ita & in praesenti sufficit ut ibi, ubi operatur, esset praesens Deus, quamvis per impossibile, non esset in medio, sufficit inquam, ut sit praesens, vel in se, vel in sui virtute.

OBJICIT II. Recentior Suarez. Deus habet perfectissimum modum essendi, ergo & operandi, atqui perfectissimus modus operandi, debet exerceri per intimam praesentiam causae ad effectum. Ergo. Subsumptum probatur ut Deus habeat perfectissimum modum essendi, debet esse intimè praesens rebus, quibus inest. Ergo etiam ut habeat perfectissimum modum operandi, debet esse intimè praesens rebus, in quibus operatur.

RESPONDETUR. Negando subsumptum, & probationis ejus Antecedens, in qua, nomine essendi Dei, non intelligitur aliud, quam modus coexistendi creaturis, & tamè falsum est, Deum habere perfectissimum modum coexistendi: perfectior enim est modus coexistendi per unionem Hypostaticam, & per visionem beatam, cum creaturis omnibus rationalibus, & tamen talem coexistentiam Deus non habet, sufficit ergo modus perfectissimus coexistendi, secundum id, quod dicit in recto. Rursus, si Deus non semper operatur, quod optimum est, nec erit necesse, habere modum operandi perfectissimum. Negari etiam potest, esse perfectissimum modum operandi, per intimam praesentiam, etiam in medio positam, propter dicta, in probatione Conclusionis. Paritas adlata non tenet. Quia, si Deus non coexistat creaturis, nullam inde habebit perfectionem, ex suppositione praecipue, quod de facto sit, cui coexistatur, acquireret autem perfectionem, ex suppositione impossibili, si ad arbitrium in distans & indistans ageret; sicut perfectior est potentia creata, quae vel in propinquum, vel in remotius agere potest, si velit, eritque adhuc praesens illic, ubi operatur, licet non praesentia, etiam per medium intercepta. Denique procedit argumentum de eo, quod est de facto, non autem de eo, quod sequi deberet, ex suppositione impossibili.

OBJICITUR III. Non est possibile, ut Deus, secundum suam immensitatem, non coexistat ubique, supposito, quod detur illud, cui coexistere possit. Ergo, non est possibile, ut non etiam sit praesens ubique, ergo etiam non est possibile, ut non operetur, tanquam praesens ubique.

RESPONDETUR. Concedendo totum. Sed quaeritur; an supposito per impossibile, quod

non esset ubique, tolleretur ipsius potentia operandi, tanquam aliquid, immediatè connexum, cum illius praesentia, hocque ipsum est, quod negatur.

OBJICITUR IV. Deus si solam praesentiam suam in caelo haberet, illic, ubi vellet operari, vel esset praesens in aliquo sui, vel in se. Si in aliquo sui, ergo in sua virtute & potentia, haec autem sunt, ipse Deus, adeoque jam non indistans operaretur.

RESPONDETUR. Deum in suppositione formata, posse interdum existere illic, ubi operatur, in aliquo tantum sui, respectu scilicet eorum operum, ad quae posset uti aliquo instrumento creato, & sic v. g. ad justificandum peccatorem Parisiis, posset uti sua gratia, in caeloque, localiter creatam, transferre Parisios, respectu autem eorum operum, ad quae uti non potest, vel non vult, instrumento creato, deberet esse illic praesens ubi agit, operaretur tamen indistans, quia medio intercepto, non coexisteret, nec per illud transmitteret virtutem.

INSTABIS. Si Deus posset aliquid operari, quavis in aliquo tantum sui praesens, sequeretur creaturam, posse non deperdere strictissima dependentia à Deo, quia magis opus habemus eo, sine quo, in sua entitate praesente, nihil sumus, & possumus, quam opus habeamus eo, sine quo, aut ejus satellite, esse non possumus.

RESPONDETUR. Strictissima dependentia creaturae à Deo, in hoc solo stat, ut nec esse, nec conservari, nec operari possit, independentè à Deo, quod totum, etiam in praesenti, salvaretur. Nec est necesse, aliam dependentiam ponere, certè enim suo modo, strictius pendet humanitas Christi, à Verbo, quia praeter communem dependentiam dependet etiam, dependentia suppositi, & tamen non omnes creaturae, tam strictam dependentiam habere debent. Rursus, strictius dependet à Deo, quod ab ipso solo immediatè producit, quam quod producit, etiam à Creatura, & tamen non est necesse à solo Deo produci omnia.

OBJICITUR V. Si ponamus Deum praesentem in caelo, & Cracoviae, ubi causat non existendo in medio, casu tali, Deus à se distaret, quod est impossibile, quia idem à seipso distare non potest.

RESPONDETUR. Non esse possibile, ut Deus non sit ubique, sed supposito hoc impossibili, quaeritur: an vi sublatae illius praesentiae, tolleretur potentia agendi, etiam in ordine ad nostros conceptus, in refundatos, necessariò connexa, nonnisi cum praesentia, etiam per medium transfusa, tenemusque non tollendam. Jam autem: an dici deberet Deus distare à seipso, de hoc agatur, ubi de loci praedicamento.

OBJICITUR VI. Locus S. Pauli, qui Actor. xvii. ex operatione Dei, in quo vivimus, move-murque, colligit ejus praesentiam, seu, quod non longè à nobis sit.

RESPONDETUR. Cum ubique Deus operetur in Universo, rectè colligitur, illum esse ubique, pro-

proceditque argumentum S. Pauli, ex iis, quæ sunt de facto. Et certè, cum nulla sit virtus, quæ de facto detur, quæ vicaria Dei, faciat nos vivere, moveri &c. bene hic (ubi hoc facit Deus) bene inquam colligitur, ejus præsentia.

OBJICITUR 7. Auctoritas ex Pl. 38.

RESPONDERI ad illam debet, ut ad auctoritatem Pauli.

DIFFICULTAS III.

Solvuntur aliqua Quæstia.

QUÆRIT hoc loco Arriaga: An indistantia & approximatio prior sit effectu, teneaturque se ex parte actus primi. Quod sit prior, teneaturque se ex parte actus primi. Ratio est, quia ignis non potest calefacere passum, nisi illi sit proximus. Ergo approximatio, est conditio, ergo est prior ad operandum, præcipue cum approximatione pendeat calefactio, à calefactione autem, non pender approximatio.

Quod autem non sit prior. Ratio est. Quia anima non potest movere, & animare corpus distans, & tamen antequam moveat, & animet, non censetur prius esse approximata, sed sufficit illam, tunc esse præsentem, cum movetur, ergo etiam idem dicendum de reliquis agentibus, tenereque subsistendi consequentiam, ad approximationem, tanquam ad aliquid concomitantis, non tanquam ad aliquid antecedens.

OPPONIT sese huic doctrinæ Oviedo. Supponunt uterque præsentiam esse Modalitatem. Supponunt item, quod ut aliquid propriam præsentialem producat, in genere causæ efficientis, aut illam patiatur in genere causæ materialis, non indigeat præsentia, ex parte actus primi requisita, quia aliàs, idem præsuponeretur, ante seipsum. Caterum, in calefactione, priorem esse calefactione indistantiam, vult Oviedo. Argumento autem, à pari facto, disparitatem adfert, quia approximatio inter animam, & corpus, in instanti temporis, in quo corpus movetur localiter, est quid consequens motum localem; ergo non potest illam antecedere, approximatio verò, inter agens, & passum, in instanti temporis, in quo est motus calefactionis, non est quid consequens motum. Sed huic disparitati.

RESPONDET Arriaga; quod sufficiat illam approximationem esse concomitantem, licet non sit antecedens.

Porrò, pro sua doctrina, hanc format rationem Oviedo, probatque approximationem, non posse se habere concomitanter ad actionem. Quia, quod se habet concomitanter re-

spectu actionis, illud non requiritur propriè, & per se, sed tantum est identificatum, seu connexum cum eo, quod per se requiritur, à quo si posset separari, nullo modo requireretur. Sed approximatio, non requiritur tali modo ad calefactionem; aliàs, si agens existeret sine omni præsentia, posset in extraneo subjecto, præsentiam producere, & movere corpus, in quocunque loco existens, quod est falsum.

Sed hoc Argumentum non convincit. Male enim definitur, ly Concomitanter, per inseparabile seu identificatum, certè enim in consecratione calicis, concomitanter ponitur Corpus, quod neque est identificatum sanguini, nec inseparabile ab illo. Deinde falsum est, approximationem per se, requiri ad actionem; per se enim requisitum, & ipsum agit, cum tamen approximatio, non uratur. Quare autem non possit agens agere, in quamcunque distantiam, quamvis approximatio, concomitanter nonnisi se habeat. Rationem redderet Arriaga, quia agens, non tantum non potest agere, si illi deficient requisita ex parte actus primi, sed etiam non potest agere, si deficient, etiam nonnisi concomitanter requisita, possetque hoc referri in naturalem vim, & operativitatem agentis, eo tantum se extendentis, & ita ignis, natus calefacere ad tres palmos, approximare vim suam, non potest ad quatuor palmos. *Ut resolvatur quæsitum.*

ASSERO 1. *Ab approximatione ad effectum, & à negatione approximationis ad negationem effectus, non posse dari legitimam subsistendi consequentiam, per ordinem ad Dei potentiam.*

RATIO. Quia agens approximatum, potest impedire Deus, ne agat, & remotum, facere ut agat.

ASSERO 2. *Si habet prioritatem aliquam (de qua mox) approximatio, respectu effectus, hac prioritatis non est necesse, ut sit prioritas temporis, vel etiam prioritas durationis, ante effectum, vel unico instanti.*

RATIO. Quia naturaliter loquendo, eodem instanti, quo anima est approximata corpori, ultimo disposito, eodem illi unitur. Consequenter sufficiet prioritas dependentiæ; hinc ulterius.

ASSERO 3. *Approximationem respectu effectus, habere se antecedenter, non concomitanter.*

RATIO. Quia prius intelligitur esse approximatio, quam actus, quod etiam intervenit in anima, quæ prius intelligitur approximata, quam unita; prioritatem, non quidem alicujus instantis, sed præsuppositionis; & sicut non intelligitur concomitanter se habere rationale ad risibile, sed per modum prioris, ita & in præsentia, approximatio non se habebit concomitanter, & quæcunque tandem regula legitima assignabitur investigandi, quod se habeat aliquid per

modum requisiti antecedenter, ea in presenti applicabitur.

QUÆSTIO IV.

De predicato distinctionis ab effectu debito causis.

EAndem quæstionem, sic proponunt alii. An idem possit agere in seipsum. Et non est quidem difficultas, an idem possit seipsum producere primo; sed tantum dubium est: An possit idem esse sui causa secundo, vel tertio, & sic ulterius. Affirmat Suarez, etiam de facto Christum se reproducere in Eucharistia. Negat Vasquez, Lugo de Eucharistia. Disp. 7. Sect. 2. n. 21. & cum eo Oviedo, Pontius, recentior Suar. & alii. Hæc quæstio spectat quidem ad materiam de causa efficiendi, non incommode tamen & hic tractatur: An autem causæ intrinsecæ distinguantur à suo causato vide ubi de toto compolito.

DIFFICULTAS I.

Statuitur quid sentiendum.

DICENDUM est. *Possibile esse, ut idem producat seipsum secundo.*

PROBATUR. Quia ex una parte id non implicat contradictionem, & ex altera parte exaltatur per hoc omnipotentia divina, potens quam amplissimè uti suis creaturis, in ordine efficientis.

OBJICIT 1. de Lugo. Causa est principium per se influens esse in aliud. Ergo nihil potest causare seipsum, non enim causatum est aliud à se.

RESPONDETUR. supra. Negando, hanc esse legitimam definitionem causæ. Sed illa etiam concessa, dici posset: hoc esse requisitum ad causam simpliciter dictam, & producentem primo.

Cæterum producat seipsum secundo, determinat se ad existendum secundo, hocque sensu producit seipsum secundo, non tamen ad se refertur relatione reali producentis, & producti, quia hæc est non nisi inter primo producentem, & primo productum. Et quamvis producenti seipsum secundo, in se ipsum, concedi debeat influxus realis, non enim intentio nostra est, produci illud secundo, non tamen exigit terminum distinctum realiter, à producente, solum enim influxus realis, dans esse primo, exigit productum, distinctum realiter à producente.

INSTAT 1. Mastrius disp. 8. n. 2. Producat se-

ipsum secundo non posset se ipsum determinare secundo, ad existentiam, quia si per primam actionem supponitur esse in rerum natura. Ergo implicabit substantialiter reproduci per secundam, quia huic secundæ terminus, à quo, assignari non posset.

RESPONDETUR. Terminum à quo secundæ reproductionis esse, non esse secundæ productionis.

INSTAT 2. idem. Sicut hoc esse secundum habitum per secundam productionem, non est à primo esse diversum, ita hoc non esse secundum, nequit esse diversum à primo non esse, nisi secundum modum, quæ diversitas non sufficit ad novam productionem substantialem.

RESPONDETUR. Sicut termini ad quem non sunt distincti realiter, ita nec ipsi termini à quo, sunt distincti realiter, non sunt tamen diversi, tantum secundum modum utcumque, secundum modum qui sit, esse secundum, quod esse secundum, nego quod terminare non possit secundam productionem substantialem.

INSTAT 3. Licet actio prima quæ intelligitur res existere, ex vi alterius causæ, sit prior, quam secunda actio, quæ intelligitur de novo à se ipsa pendere, tamen tota hæc prioritas, versaretur inter ipsas actiones, non inter eandem rem, cum se ipsa, est enim semper idem, consequenter non potest esse prior se ipsa, à parte rei.

RESPONDETUR. Inter actiones est indubiè illic prioritas & posterioritas realis, sed non inter terminos, cum illic non sint plures termini, sed unus realiter.

Negatur tamen duarum actionum, quarum una est prior realiter, altera posterior realiter, non posse esse terminum eundem realiter, seu eundem, iterato tamen terminantem actionem distinctam: de qua ipsa actione dici potest, quod sit adæquata respectu productionis secundæ, nam actio adæquata, per Mastrius dicitur illa ex vi cuius nullā aliā intellectū terminatā ad eundem effectum, potest poni sufficienter effectus, à parte rei. Jam autem nulla alia actione secunda intellecta, sed sola hac secunda, potest poni sufficienter secundo à parte rei, illud, quod dicitur productum secundo.

Et licet nihil uniter positum sibi ipsi realiter præsupponatur, reproductum tamen & positum secundo, potest seipsum supponere realiter primo positum, ly ipso realiter, non invehente inter producat & productum secundo à se ipso, distinctionem realem in ipsis entitatibus, sed invehente quod independentem à cogitatione nostra, fuerit primo productum, quod tamen idem non repugnat se ipsum producere.

OBJICIT 2. Omnis causa secundum esse per quod causat, debet præsupponi ad effectum. Idem autem non potest præsupponi ad seipsum prioritate naturæ.

Re-

RESPONDETUR. Verum id esse de causa causante primo, non autem de causa causante secundo. Nam quod idem non possit esse seipso prius naturā, ratio convincit, quia & esset prius naturā ut supponitur, & non esset, quia esset idem naturā, cum eo quod est posterius naturā, quod autem idem non possit causare seipsum, nec dum ostendis implicantiam.

Dici etiam posset non supponi primo productum si producat seipsum secundo, non supponi inquam simpliciter prius prioritate naturā, eandem enim habent naturā, supponit tamen prius naturā secundum quid, quia scilicet non primo productum quā tale, accipit esse à secundo productum, sed vice versa, valetque subsistendi consequentia à secundo productum, ad primum productum, non è converso. Arriaga etiam sufficere dicit, ut prioritas hæc desumatur non ratione effectus simpliciter, sed ratione effectus prout actione posteriori producti, & ita agnoscit ipse Lugo, prius esse seipso corpus Christi, prout intelligitur conservari à solo Deo, quā prout intelligitur conservari in Eucharistia; & idem effectus secundo productus, à causa distincta realiter, erit posterior seipso, ratione actionis distinctæ.

INSTAT Lugo. Per prioritatem causæ ad effectum, non solum significatur prioritas actionis ad effectum, sed multò magis prioritas ipsius causæ, secundum entitatem ad effectum, itidem secundum entitatem. Ergo ubi non datur hæc prioritas, non datur vera causalitas.

RESPONDETUR. Esse hæc vera, solum de causa primo producente effectum.

OBJICIT 3. idem. Illa actio secunda non est adæquata respectu corporis Christi; actio enim adæquata dicitur illa, ex vi cuius nulla alia intellecta, quam terminet idem effectus, ponitur sufficienter effectus à parte rei, ista verò actio essentialiter est talis, ut præsupponat corpus Christi existens.

RESPONDETUR. Illam actionem esse adæquatam in suo genere, & non præsupponere in eodem genere aliam, ordinis ejusdem, nec enim productio secunda, supponit productionem secundam aliam, & sicut cum duæ totales causæ, sive diversi, sive ejusdem ordinis saltem divinitus eundem causant effectum, unaquæque in sua formalitate est totalis, ita & hæc secunda productio, in ratione secundæ, totalis erit.

OBJICIT 4. Vasquez. Nihil potest esse subiectum seu forma sui ipsius. Ergo nec idem potest efficere seipsum.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam, quia pro antecedenti est implicantia, quam tamen pro consequenti non ostendis, implicat autem ut aliquid sit subiectum sui ipsius, quia illud secundum, & esset subiectum primum: Esset subiectum primum, quia esset materia, & non

esset subiectum primum, quia supponeret subiectum primum, & huic secundo, esset aliud subiectum primum. Rursus non potest esse idem forma sui ipsius, quia illud primum & esset actus, quia esset forma, & non esset actus quia, subiectaret hanc secundam formam, ab illaque actuaretur, in hoc enim stare esset formam, formam sui ipsius secundam.

Universaliter etiam ab implicantia unius, non tenet argumentum ad implicantiam aliū, nisi ostendatur commune utrique fundamentum quod hic non ostenditur. Et certè hoc, quod esset materia vel forma sui ipsius, non posset secundo esse, nisi per destructionem & carentiam prædicati convenientis primò, nempe vel subiecti primi vel actus, ex quo, sequitur, fore idem cum primo ut supponitur, & non fore idem ob dictam carentiam prædicati, ita intimi.

INSTABIS. Sicut illud quod causaret seipsum materialiter & esset subiectum primum & non esset subiectum primum, sic etiam si idem produceret seipsum, illud secundo productum & esset primò productum & non esset primò productum, esset primò productum, quia esset idem cum primo productum, non esset autem primò productum, quia esset secundo productum ut supponitur.

RESPONDETUR. In hac instantia, committi fallaciam accidentis, quia ab identitate in uno, arguitur ad identitatem in alio, in quo, non idem, sed distincta sunt; porro in ratione primo & secundo producti quā tali, non sunt idem, quia hi termini trahunt secum actiones, quæ sunt inter se distinctæ realiter, licet sint termini producti idem in ratione entitatis. Dici etiam potest esse productum primo & non esse productum primo, non esse terminos contradictorios respectu ejusdem, nam quando dico de materia eadem se causante secundo materialiter, quod non esset subiectum primum & esset subiectum primum, non intelligo actionem primo productivam, in isto enim sensu materia prima elevata ad sui productionem secundo, non esset subiectum primum, sed intelligitur recipi, sustentari &c. in alio, cum tamen subiectum primum in nullo alio recipi debeat. Ly ergo primum subiectum, & ly non primum subiectum, respectu ejusdem verificaretur, quando autem de illo secundo productum prædicas, quod esset primo productum & non esset primo productum, diverso respectu verificaretur illud non esset primo productum, ratione scilicet actionis diversæ producentis, esset autem primo productum, ratione ejusdem entitatis inter producentem & productum.

OBJICIT 5. Pontius. Implicat aliqua actio totalis respectu alicujus effectus, per quam solum, non posset poni effectus. Sed per actionem illam non posset poni effectus, quia desinen-

nente prima actione, deberet desinere res per illam producta.

RESPONDETUR. Querendo: an si desinat primo productum, sit desitum etiam secundo productum, quantumvis producat non à se ipso, sed ab alio distincto realiter. Directè etiam dici potest quod possit conservari secundo productum etiam desinente primo producto; de quo latius in materia de replicatione.

OBJICITUR 6. Illa actio & haberet usum, & non haberet; haberet, quia esset ens, & volibile à Deo; non haberet autem, quia nihil potest fieri per illam solam, nec per illam ut conjunctam cum alia actione, quod non æque bene fieret, & æque necessario, per illam actionem.

RESPONDETUR. Argumentum hoc multum probare. Probaret enim ne à distincto quidem realiter posse idem produci secundo. Deinde cum illa actio secundo productiva, æque producat ac prima, quamvis supponat primo productum, falsum est, quod nihil posset fieri per illam solam illudque productum secundo, posset habere inter alia usum occupandi plura loca, vel actu vel potentia.

DIFFICULTAS II.

Solvitur argumentum à pari.

OBJICITUR 7. à Pari. Prima paritas est. Relatio non est ad seipsum. Ergo nec productio.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia relatio definitivè est ad aliud, non ergo est ad seipsum, definitivè autem efficientia, ut sic, non est ad aliud, nec tu aliunde ostendis implicationem, quod idem non possit producere seipsum, unde etiam negandum est, quod omne producens, & productum, sint correlativa, sicut non omnis cognitio, & objectum, sunt correlativa. Nam cognitio reflectens se, supra se, non est à se distincta realiter, nec ad se relativa.

SECUNDA paritas. Non potest idem producere seipsum primò; ergo nec secundo.

RESPONDETUR. Disparitatem esse; quia si idem produceret seipsum primò, productivitas competere ei, quod non existit, id autem quod non existit, ut vidimus supra, non potest producere actu: Si autem concedatur, quod idem primò productum, producat se secundo, non sequetur, productionem fieri à non existente.

TERTIA paritas est petita ex Divinis. Non potest dici, quod natura divina producat se ipsam. Ergo nec in creatis, idem potest seipsum producere secundo; videturque per oppositam sententiam convelli Mysterium Trinitatis, quia jam non bene inferretur, ex productione, distinctio realis, in quo tamen fundatur

mysterium Trinitatis, poteritque ulterius dici, quod Filius, & Spiritus Sanctus, producant se ipsos secundo, quodque Filius non aliud sit, quam Pater, seipsum producens secundo.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia quod primò productum non est, non potest se producere secundo, quia & esset idem cum secundo ut supponitur, productum, & non esset, quia eam negationem, quam intrinsecè & essentialiter importat unū, intrinsecè & essentialiter non importaret secundo productum, quod ipsum probatur. Quia unum dicit intrinsecè, & essentialiter negationem productionis, est enim improdūctum quid, (nempe natura Divina & Pater) secundo autem productum, diceret intrinsecè & essentialiter productionem. Porro ea, quorum unum dicit essentialiter, & intrinsecè productionem, & aliud negat intrinsecè & essentialiter productionem, non possunt esse idem.

Sed nec dum sequetur, quod Filius & Spiritus Sanctus cum sint producti, possint reproducere seipsos secundo. Idque ideo, quia in creatis secunda productio non est essentialiter frustra, esset autem in Divinis essentialiter frustra. Quod ipsum probatur. Quia ob limitatam perfectionem, creatura acquirit aliquid, secundo producta quod non haberet si primo esset tantum producta, haberet enim posse coexistere pluribus locis, haberet distinctionem virtutalem quandam æquivalentem cuidam quasi reali, vi cuius possit desinere in uno loco, non desinere in alio, sicut Christus replicatus in speciebus sacramentalibus, definit in uno loco, non definit in alio loco; jam autem Filius, & Spiritus Sanctus, sunt illimitatæ perfectionis; hinc quidquid posset habere per suum esse secundo, hoc jam habet, per primo sui produci. Rursus, quia prius est posse produci secundo, quam posse produci secundo à se ipso, produci enim secundo, est tanquam superius, divisibile per hæc membra; produci secundo ab alio, produci secundo à seipso. Cum ergo nec naturæ Divinæ, nec personis competat produci secundo, neque enim omnia quæ competunt creaturis, idque ex suppositione imperfectionis illarum, competunt Deo, multo magis non competet illis produci à seipso secundo, aliàs possibile esset inferius, sine superiori.

Deinde in Divinis quæcunque singibilis productio secundo, esset productio prima, possibilis autem in creatis productio secundo, non est productio prima, ut clarum est. Quod autem in Divinis quæcunque singibilis productio secundo, esset productio primò, hoc inde est; Quia prima productio in divinis, esset productio ad æquata, & ex parte principii, & ex parte termini, & exhauriens omnem possibilem productivitatem, & producibilitatem; nulla ergo illic

illic potest esse productio, quæ non sit prima, cum item illa productio prima, sit ab intra, de-
pseit necessariam, & invariabilem sui conti-
nuationem; quia autem prima productio in
creatis, non est productio adæquata, nec ex-
haurit producibilitatem secundo, alias nec à distin-
cta realiter causa, posset idem produci secundo,
sit ut cum ex una parte non repugnet creatis
producibilitas secundo, & ex alia parte cum
non ostendas repugnare producibilitatem se-
cundo, à seipso, sit ut idem possit producere se-
ipsum secundo.

Denique responderi potest ex principiis
Theologicis. Quia scilicet si possibilis esset
productio secundo in Divinis, illa jam defacto
daretur, quidquid enim in Divinis ab intra po-
tesset esse, jam defacto datur. Cum ergo fides nos
doceat, non esse productionem secundo in Di-
vinis, nec possibilis erit; fides autem in creatis,
non docet implicare, secundo sui productio-
nem, nec ratio ulla ostendit.

INSTABIS 1. Etiam primo productum dicit
negationem secundo producti, sicut natura Di-
vina, dicit negationem producti, & tamen hoc
non obstante, primo productum, potest produ-
ci secundo. Ergo etiam produci poterit natura
Divina, vel, si illa non potest produci secundo,
nec poterit quidquam seipsum, producere se-
cundo.

RESPONDETUR. Quando primo productum,
dicit negationem secundo producti, non dicit
absolutè negationem producti admittitque (ni-
si ceteroqui repugnet) productionem secun-
dam, infundatam præhabito titulo producti.
Jam autem hunc titulum non habet natura
Divina. Deinde instantia videtur multum
probari enim à causa etiam distincta reali-
ter, non posse produci secundo, eundem
effectum.

INSTABIS 2. Id, quod improductum est, hoc
est, natura Divina potest identificari personæ
productæ; ergo etiam identificari potest & na-
tura improducta, cum se ipsa producta.

RESPONDETUR. Negando consequentiam.
Quia pro antecedente nulla est implicantia;
pro consequenti autem datur, quia & identifi-
caretur natura improducta, cum se ipsa produ-
cta, & non identificaretur, identificaretur qui-
dem ut supponitur, non identificaretur autem;
quia repugnat illam ex dictis produci secundo.
Deinde quando identificatur natura cum per-
sona, non eidem præcisè formalitati, seu virtua-
litati, competit esse productum (quod competit
esse productum (quod competit personæ) & ef-
fe improductum (quod competit naturæ) in ca-
su autem objectionis, eidem formalitati, & vir-

tualitati, naturæ competere esse productum, &
non esse productum.

DIFFICULTAS III.

Respondetur Objectionibus aliis.

A Micus Tomo primo disp. 23. a. n. 70. con-
gerit varia argumenta in oppositum.

OBJICITUR 1. Hæc sententia, Principium lu-
mine naturæ notum tollit, quo Patres uteban-
tur contra Satellium; negantem Filium distin-
gui à Patre, tollit inquam, illud principium;
quod producat & productum sunt distincta
realiter, & in hac sententia, Pater seipsum pro-
ducere posset.

RESPONDETUR. Negando, ab hac sententia
tollit dictum principium, quod verum est de
producente primo, & producto primo, & quia
in divinis non potest esse nisi producat primo,
& productum primo, ideo in divinis ex produ-
ctione, rectè arguitur distinctio realis. Nega-
tur item in his principiis, posse Patrem seipsum
producere secundo.

INSTABIS IDEM. Perfectior est identitas & uni-
tas, quàm multitudo & distinctio. Ergo si non
implicat, ut idem sit producat cum producto,
talis identitas, ut major perfectio, concedenda
est Deo.

RESPONDETUR. Implicare, ut idem sit primo
producat, & primo productum. Implicare
item, ut in divinis sit secundo productum. An-
tecedens etiam cum grano salis est accipien-
dum, alias probaret in divinis non esse Trinita-
tem personarum, in isto ergo sensu non nisi ve-
rum est, quia perfectior est unitas, distinctione
in competente divinis.

OBJICITUR 2. Omnis causa, media actione,
dat aliquod esse effectui, & effectus, media
actione, accipit aliquod esse à causa, nec satis est,
vel causam, solam actionem dare, vel effectum,
solam actionem recipere, cum actio essentiali-
ter sit medium ad communicandum aliquod
esse, at nullum fingi potest esse, quod per hanc
actionem detur, vel accipiatur; quia idem esse
effectus, invariatur perseverat.

RESPONDETUR. Retorquendo argumen-
tum, & querendo quomodo agens distinctum
realiter possit aliquid producere secundo. *Di-
rectè autem dici potest,* quod quamvis causa pri-
mo causans, det effectui esse simpliciter, causans
tamen secundo, sufficit, ut det esse cum addito,
hoc est v.g. esse secundo, vi cuius esse secundo,
inter alia habet, quod si non poneretur extra
causas, & si primo productum deficeret, adhuc
vi il-

vi illius esse secundo, plura spacia occupare, hocque esset quod daret illud esse secundo.

INSTAT 1. idem. Hæc sententia admittit aliquid difficilius, quàm fides doceat de productione divinarum Personarum, scilicet productum à producente, distingui præcisè, solum ratione actionis, non autem ratione termini & effectus producti: nam hic ut distinctus ab actione, est idem prorsus cum seipso producente, cum tamen Personæ divinæ non solum realiter distinguantur à producentibus, ratione productionis quâ producuntur, sed etiam ratione termini producti.

RESPONDETUR. In vertendo argumentum, quod si idem producat secundo à causa etiam distincta realiter, tamen difficilius hoc erit, quàm id quod fides docet. Quando enim Pater producit Filium est terminus distinctus realiter, quando etiam idem Pater cum Filio producit Spiritum Sanctum, est distinctus realiter terminus, hic autem duplici productioni idem respondet terminus. Adde, non in hoc sita esse difficultatem Mysterii Trinitatis, quia inter producentem & productum est distinctio realis, sed quia producentem & productum distincta realiter, identificantur in eadem natura: nos autem non dicimus idem producentem seipsum secundo, distingui realiter cum identificatione, à producto primo.

INSTAT 2. idem. Distinctio inter producentem & productum possibilis est, non minor eâ, quàm fides inter personam producentem, & productam agnoscit. Atqui inter personam producentem & productam, non solum admittit fides distinctionem personarum productarum, à producente, ratione productionis, sed etiam ratione termini producti. Ergo minor possibilis non est.

RESPONDETUR. Invertendo argumentum, ut supra, nimirum casu quo idem producat secundo à causa distincta realiter, quod ratione termini, inter illa producta, distinctio non erit. Directè autem dici potest distinctionem inter producentem, & productum primo, non esse possibilem minorem, est enim cum identificatione in natura: possibilem tamen esse majorem in distinctionem, inter producentem, & productum, non primo; licet in divinis repugnet tale productum non primo.

INSTAT 3. idem. Ex hac sententia sequitur, possibile esse, ut filius non tantum ratione personæ, sed etiam ratione naturæ, producat à Persona producente; siquidem per realem productionem in nostra sententia, non tolleretur ejusdem, realis identitas, cum producto & producente.

RESPONSUM supra, cum natura divina, dicat rationem improducti, non posse eam produci secundo. Unde ulterius dicitur, realem productionem primam, inferre essentialiter distin-

ctionem realem, non autem omnem, ut sic, productionem realem; quia autem in divinis, non potest esse productio, nisi primo, hinc fit, ut in divinis arguat distinctionem realem.

OBJICITUR 3. Communiter. Non potest idem generare seipsum secundo, seu, esse Pater sui ipsius secundo, non potest idem esse Dominus, & servus sui secundo. Ergo nec producere seipsum secundo.

RESPONDETUR discurrendo, ut sic, de generatione. Non apparet cur ignis A, easdem dispositiones, & seipsum secundo, educere, generareque non possit ex eadem, vel alia parte materiæ. Discurrendo etiam de generatione filiativa, potest esse quæstio de re, & quæstio de voce: quæstio erit de re; An formam materiam suam, dispositionesque illius secundo, ponere non possit genitum, item, an homo dispositiones ad sui generationem secundo ponere non possit, ad quas secundo Deus producat eandem animam. Et in hac parte quæstionis, affirmativa pars tenenda. Quæstio autem erit de voce. An debeat dici principium ita disponens, Pater. Probabileque est non posse dici, quia usus, hoc nomen Pater, applicat ad primò generatione producentem. Quod attinet ad servum, dici posset, quod nullus possit esse rigorosè servus sui ipsius, quia justitia est virtus ad alterum, secundo autem productus à se, non esset sibi alter; jam autem in definitione rigorosè producti, nego quod intret alteritas, cum hoc tamen stat, quod productus secundo, possit sibi exhibere servitium, obligare se &c.

QUÆSTIO V.

De divisione causarum in communi.

PRæmissa divisione in causam creatam & increatam, attingemus divisiones magis necessarias easque Philosophici juris.

Aristoteles divisit causas in materialem, formalem, efficientem, finalem; divisionis hanc adfert rationem Suarez. Dantur de novo rerum productiones, omne autem quod fit, ab alio fit; & hoc erit causa efficiens, & quia nullum agens agit, nisi motivo boni, hoc bonum finis erit; quia verò ex nihilo nihil fit, datur præjacentis subjectum, & hoc est Materia. Quia vero efficiens debet aliquid de novo efficere, effectus ille erit forma, quod si sit effectus altior illo, qualis est spiritualis substantia, non nisi creatione ponenda, debet non nisi ponere dispositiones exigitivas, ut prima causa aliquid creet. Rursus alia est causa totalis, quæ sola, quantum ex illa, producit effectum, & alia est Partialis, quæ non nisi unâ cum aliis causat. Rursus alia est causa Physica, alia moralis. Physica est, quæ per

per verum & realem influxum determinat ad existendum. Moralis autem causa est, quæ consulendo, imperando &c. influit in effectum. Alia autem est causa instrumentalis. Alia principalis, de quibus ubi de Efficienti. Deinde alia est causa per se, & alia per accidens ex secundi Physicorum tex. 33. Causæ per se dicuntur, quæ causant effectum, quæ tales, ut dum musicus cantat. Causa autem per accidens est, quæ non nisi conjungitur cum eo, quod est causa, vel contingenter influit in effectum. Denique alia est causa proxima, alia remota. Remota est quæ medio effectui à se producto influit. Proxima autem, quæ immediatè influit. Hinc insurgit difficultas: An causæ remotæ sint verè causæ. Distinguit Oviedo & dicit, causam remotam dupliciter se posse habere, primò, ut producendo effectum, medio, quo agit illum, tamen non conservet, & sic Abraham avus, Patrem Josephi

Jacobum, non conservabat; Secundò, causa remota vel actu producit, vel actu conservat effectum, medio quo agit & hanc causam, dicit esse veram & propriam causam, non verò priorem. Ratio ejusdem. Quotiescunque effectus ita dependet à causa, ut sine illa, vel vices illius suppleto, subsistere non possit, illa causa est per se influens, si enim per accidens influeret, subsisteret effectus illa non subsistente, vel non posita, loco illius alià, & ita ædificium subsistit, si musicus ædificet; respectu enim ædificii, musica per accidens se habet; jam autem mortuo avo, nullus defectus suppletur in generatione nepotis. Quando verò calor in igne productus, producit alium calorem in aqua, ignis respectu illius secundi caloris, est verè causa, quia illo deficiente & non suppleto per alium ignem, deficiet calor in aqua receptus. Vide de hoc Oviedo.



DISPUTATIO II.

De Causis in Communi comparative spectatis.

Disputabitur hinc imprimis de Causis conjugatim acceptis per ordinem ad effectus; An scilicet idem effectus à pluribus causis produci possit? rursus de causis inter se comparatis: An scilicet una aliam causare possit?

QVÆSTIO I.

An duæ causæ eundem effectum causare possint.

Potest procedere questio: An duæ Causæ conjunctim, possint eundem effectum causare; deinde an possint divisim. *Sic*

DIFFICULTAS I.

An duæ causæ divisim, eundem effectum causare possint.

PRÆMITTO I. Non esse difficultatem de causalitatibus, si ille sunt modalitates distinctæ, quod quæ causalitate agit unum, agens eadem numero non possit agere aliud.

RATIO est. Sunt enim essentielles determinationes, vi quarum habet hoc agens, ut agat. Si ergo non sit hoc agens, jam illud determinare non poterit illa Modalitas.

PRÆMITTO 2. Esse difficultatem de insit Causis, an scilicet eum effectum, idque eundem nume-

ro, possit alia causa causare, non quidem Primam sed Secundam. Quæ questio videtur esse independentem à mente Aristotelis tractanda; nam si ille agnovit causam primam, omnia ex necessitate agere, multò magis id sensit de causis secundis, quod necessariò sint ad hos effectus determinatæ, & ex proportionem, quòd hi effectus sint ad has causas determinati, idque clarè indicat octavo Metaph. tex. 12. & secundi Physic. tex. 36. & quamvis ille agnovit causas, & æquivocas, & per accidens, non agnovit tamen causas per accidens in isto sensu: quòd possint causare effectum, quem aliæ causæ causant, sed in isto sensu; quòd non per se influant in effectum. Æquivocas item causas agnovit isto sensu; quòd eminenter contineant perfectionem suorum effectuum in eo genere, in quo illos causant; sed non agnovit, quòd contineant cum vi, quemcunq; similem numero producendi effectum, ita ut sit quidè in causa æquivoca vis com-
producendi eundem effectum, unà cum univoca causa, non tamen divisim ab illa.

PRÆMITTO 3. Non esse difficultatem de causis intrinsecis. An scilicet duæ causæ distinctæ, successivè eundem effectum causare possint. Indubiè enim non possunt. Ratio, quia cum effectus causarum intrinsecarum sit idem realiter cum ipsismet causis, si in re non sint eadem causæ, in re non erit idem effectus, adeoque à duabus causis intrinsecis etiam divisim, idem effectus causari non potest. Tota ergo difficultas